17

DISSERTATIO
PHILOSOPHICO-THEOLOGICA
DE

DVRATIONE BRVTORVM

OCCASIONE
OBSERVATIONVM BENGELIANARVM
IN GNOMONE
AD LOCVM, QVI EXTAT ROM. VIII. 19-22.

QVAM
ADSISTENTE DEI GRATIA
PRAESIDE

CHRISTOPHORO FRIDERICO SARTORIO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO, ILLVSTRIS STIPENDII THEOLOGICI SVPERATTENDENTE, FACVLTATIS
THEOLOGICAE h. t. DECANO,

a. d. MAII ANNO MDCCLVI.

H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI SVBIICIET
AVCTOR
IACOBVS NICOLAVS HESLER, *Herimontanus*,
PHIL. MAG. ET S. S. THEOL. STVD. IN ILL. STIP.

TVBINGAE, LITTERIS ERHARDTIANIS.

12.

⁂ ⁂ ⁂

Praeſens gravidum futuro.

58700 (17)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

* * * * * * *

PROLOGVS.

Eſt mihi magnopere expetendum, *Viri Eruditi*, quorum in conſpectum haec mea prodit commentatio, vt tyroni ignoſcatis in arenam deſcendenti eam, quae hactenus exercitatis vindicata iudicatur, non exercitandis. Valde enim vereor, ne, quum materiam ſcribendi ſumſerim, quae Viris, primae magnitudinis Luminibus, &, vt exemplum proferam, B. *D. Weismanno*, in Diſs. ad h. l. A. MDCCXLV. ventilata, *vexatiſſima* audiuit, mihi vel imprudentiae vel temeritatis dica ſcribatur. Neque diffiteor perſuaſa veritatis poſſeſſione ſuperbus, me capeſſere demum curſum, ad quem ſcientiarum aperti campi me alliciunt, neque iam conſecutum eſſe metam. Procul itaque a cognitione & perſpicacia mea adhuc abſunt ſcientiarum limites, vt dicere nondum queam, *quantum ſit, quod*

neſciam. Quare fieri facile poteſt, vt hiatus ſe offerant & lacunae in meditationum mearum ſyſtemate me latentes, patentes vero late *Viris*, qui ſubacta gaudent eruditione. Verum enim vero percipiatis rationes horum conatuum.

Nolui, qui ſaepius fui hucusque ex cauſſis non ita iniuſtis, eſſe ſemper erga prouidentiam ſine dubio diuinam ingratus, quae mihi has non quaerenti ſuggeſſit meditationes, cum quotidianae lectionis ordine in locum praeſentem inciderem. Quare cœpi leuiſſimo eas primum delineare calamo, & cum ſpecimen ſtudiorum meorum eſſet exhibendum, atque a *Superioribus* expectetur, an non egiſſem nihil, ego, animatus a *Viro* quodam *Summo*, mecum conſtitui, eas qualitercunque elaboratas publico exponere examini.

Prodeunt itaque V. E. veſtro ſubiiciendae iudicio. Occurrite animo tyronis ſubtimido certis remotae veſtrae indignationis indiciis, vt meus diſcendi ardor ne tepeat manifeſto veſtro ſuppreſſus contemtu. Vmbram vero potius delineo tractationis eruditae; non ſiſto ſyſtema, vel corpus aliquod.

Et cum expectari quoque poſſet in materia *de duratione Brutorum*, quid *de natura eorum*, quid de anima ſentiendum ſit, prudens haec obiecta reliqui Phyſicis, * Metaphyſicum agens & Theologum. Eſt vero, ſi placet, huc referre, in manu veſtra Angli, *Jenkini Thomaſii Tractatus philoſophico-apologeticus de Anima Brutorum, eam non eſſe materialem*, qui praefatione *D. Joh. Guil. Bajeri* munitus Altorffii Nor. typis impreſſus eſt in 8vo. A. R. S. MDCCXIII. Habetis Itali, Exlegati

* Metaphyſicus, qui eſt vi vocis poſt Phyſicum, ſupponere certe poteſt, ſi non debet, Phyſicam. Conf. *Dilucid. Ill. Bilſingeri* edit. Steinhof. in 8vo. §. 1. Obs. I.

legati Pontificii, *Hieron. Rorarii*, multae lectionis Viri, duos libros elegantiſſimos, qui in demonſtrando, *quod animalia bruta ſaepe ratione vtantur melius homine*, operae multum adhibuit. Humaniſſime mihi communicata eſt eorum ea editio, quae Helmſtadii A. MDCCXXIX. prodiit in 8vo. adiuncta *diſſertatione* Venerandi hodie Theologi Gœttingenſis, *Georg. Heinr. Ribouii de Anima Brutorum hiſtorico-philoſophica.* Quodſi tamen mea extorqueatur ſententia, faciam cum Cel. *Morhofio*, *, Polyhiſt. T. II. L. II. P. II. C. XLV. §. 4. pag. m. 470. confeſſurus, „excedere intellectus noſtri anguſtias rei ſubtilitatem„ cum & datorum adparatus, ex quibus, quid ſit anima brutorum, *determinari* debet, mihi nondum ſit ſufficiens.

Antiquiſſimi Philoſophi, *Aegyptii*, immortalitatem animae animalium tam perſuaſam ſibi habebant, vt ex ſententiae huius fauore *metempſychoſin* ſuam adſtruxiſſe mihi videantur. Nam huius eos auctores eſſe, docet idem *Ven. Ribouius* in Diſs. cit. P. I. C. III. §. CVII. ſ. & Excellentiſſimus Dn. Prof. *Oſiander*, Patronus noſter ac Fautor multis nominibus colendus, in *Diſs. Pſychologica* celeberrima *de Transmigratione animarum humanarum &c.* A. MDCCXLIX. edita. §. VI.

Denique cum Philoſophum admittat haec materia, duas ſtiti partes; vnam, quae *poſſibilitatem Theſeos ex principiis philoſophicis* vindicaret; alteram, quae veritatem ipſam ex *fundamentis reuelatis* inuictis demonſtraret. Faxit modo Deus, vt, quicquid realitatis hac mea opella propinari videatur, in vſus Deo glorioſos conuertatur.

Pars

* Eiusdem iudicium de cit. Rorario exſtat Polyhiſt. T. I. L. IV. C. I. §. 3. p. m. 2. 3. Longum quoque articulum de eo nexuit *Bayle* in Dictionario, vbi varias variorum de tractationis noſtrae obiecto cumulatas recenſuit ſententias.

Pars Philoſophica.

§. 1.

Quicquid exiſtit, ſuam perfectionibus diuinis debet exiſtentiam. Quicquid itaque de exiſtentiae alicuius realitate, adfectionibus & deſtinatione cogitari licet, eius fundamentum ſuppeditare debent diuinae naturae perfectiones.

§. 2. Perſpicitur inde ſatis, uti mihi perſuadeo, ſuperque, nihil admitti debere, in determinandis praeſertim rerum adfectionibus, imo & deſtinationibus, quod complexui realitatum, quibus Principium rerum gaudet, contrariatur; neque quicquam rei abſolute eſſe denegandum, quod Principii ſui ambitus admittit.

§. 3. Peccaremus v. gr. contra prius, ſi largiremur, ad ſummum illud infinitudinis faſtigium, ex quo ſolum rerum principium eminet, poſſe creaturas incrementorum ſatis longo ſucceſſu peruenire; contra poſterius, ſi cum morte brutorum ſimul coniunctam ſtatueremus ipſorum deſtructionem integram, ſ. quam vocant vulgo, *annihilationem*, a cuius tamen demonſtratione vna alteraue Principii ſummi perfectio prohibere videri poſſit.

§. 4. Omnia vero, quae creata ſunt, ſunt in nexu ſyſtematis vniuerſi poſita, ita, vt mutuae inter ea intercedant relationes, quibus ipſis omnia ad vnum quaſi commune centrum, & ad vnum aliquem finem communem perducuntur.

§. 5. Jam, cum *de duratione brutorum* diſſerendi ſit animus, diſpiciendum eſt, quousque durationis brutorum terminus ita poni queat a nobis, ut neque quidquam admittamus, quod cum realitatibus diuinis, quibus ſuam bruta exiſtentiam ferunt acceptam, non conuenit; neque quidquam negemus, quod poſita illarum eminentia poni poteſt.

§. 6. Alterum tractationis huius caput, quod ob §. 4. erit ſubiungendum, abſoluet inueſtigatio cum demonſtratione coniuncta, quodnam ſit commune illud centrum, quinam communis ille finis, ad quem, vti omnes creaturae, ita & bruta, ope nexus

illius

llius, quo totum huius vniuerſi ſyſtema ſibi eſt cognatum, ferantur.

§. 7. Quicquid infinitus ille Entis perfectiſſimi intellectus ſibi repraeſentat, vt exiſtens, illud exiſtit: &, quam diu ſibi aliquid extra ſe repraeſentat, vt exiſtens, tam diu exiſtit. Vbi enim virtus ſ. potentia infinita locum habet, ibi voluntati effectus numquam non reſpondet. Atqui in Ente perfectiſſimo potentia infinita habet locum. Ergo. Jam poteſt illud quoque brutum, quod ſibi ſemel repraeſentauit, vt exiſtens, ſibi, vt tale repraeſentare ſemper; nam eadem eſt ſemper virtus infinita. Ergo *poteſt* quoque brutum, quod ſemel exiſtit, exiſtere ſemper. Ergo contra hanc Dei perfectionem non eſt, negare annihilationem brutorum.

§. 8. Sed obſtant varii Schematiſmi, in quos formantur & reformantur bruta, inter quos mortem quoque eorum referendam eſſe aſſumimus? Infinita quidem potentia ſiſtere poteſt exiſtens, §. 7. ſed ita nondum euictum videtur, quod ſchematiſmorum varietas identitati exiſtentiae non contrarietur. Itaque incumbit nobis, vt videamus, quomodo reſpondendum ſit? an vera obuerſetur repugnantia? an praeter vltimam illam, quae in noſtros incurrit ſenſus, bruti mutationem, quam in morte ſubit, neque adaequata & liberrima Entis perfectiſſimi repraeſentatio etiam mutationem poſſibilem, aut characterem exiſtentiae deprehendere poſſit vllum?

§. 9. Infinitae Sapientiae is inſignis eſt character, vt non vna tantum via vnum idemque aſſequi poſſit; vt facillimum ipſi ſit, vnum effectum infinitis modis continuare. Jam vero & hoc attributo Ens perfectiſſimum gaudet in ſenſu eminentiſſimo. Non obſtat itaque ſchematiſmorum, qui in brutis accidunt, varietas, quominus ea exiſtere non deſinant, etiam in eo ſtatu, in quo noſtris oculis exiſtentiae ſuae characterem relinquunt nullum *a*). A noſtra enim vel repraeſentatione vel Non-repraeſentatione ad diuinam

a) Quam profunde lateat vita embryonum, ſuis effectibus, ſuis manifeſtationibus, ſuaque actiuitate, primis ad minimum praeſentiae ſuae momentis, diebus, hebdomadibus, menſibus, vel vulgus nouerit. Medici tamen demonſtrant nobis, & primis vix formati embryonis rudimenti momentis vitam adeſſe debere, & actu ineſſe, quod ex motu & incrementis videre ſit. Conf. *Nieuwetyts Rechter Gebr. der Weltbetracht.* p. m. 204. ſ. & 595. Cum eandem

diuinam alterutram non valet conſequentia. Euicta itaque adhu eſt *poſſibilitas*, bruta durare in infinitum, cum & ſapientia infinit eam admittat largiſſime.

§. 10. Annon vero infinita bonitas, amor & propenſio i creaturas exhauriretur tam aſſiduo & diuturno in tot creaturas ir fluxu? Hoc quis crediderit? Infinitum non poteſt minui, adeoqu nec exhauriri. Si enim poſſet exhauriri, cogitari poſſet maius quod exhauriri nequit, id quod repugnat ideae infiniti. Atqu amor DEI eſt infinitus. E. non poteſt exhauriri. Ergo & haec DI perfectio admittit infinitam brutorum durationem *b*). In quo a tributo cum reliqua DEI attributa tamquam in centro conuenian & omnia inter ſe amiciſſime conſpirent, vti obſeruatum refert E cell. Dn. Prof. *Ploucquet*, Praeceptor noſter colendiſſimus, i *Principiis de Subſt. & Phaen.* p. 33. §. 65. ego iam in comparand reliquis attributis non ero multus.

§. 11. Opponi vero poſſet ex idea Entis liberrimi & omnip tentis, quod Deus eſt, poſſe quoque adſtrui contrarium, poſſe n mirum annihilari bruta. Neque enim abſolute neceſſarium eſ neque tenetur Deus, vt, quae ſemel ſibi repraeſentauit vt exiſte tia, ea ſibi vt talia repraeſentet ſemper. ℞. Concedendo largiſ me. Sed haec poſſibilitas nondum tollit alteram, donec praeci demonſtretur, *velle* Deum aliquando abſtrahere repraeſentatione ſua

eandem vitam intuemur in diuerſis animalibus, quae Hiſtoria natura nobis offert e claſſe quadrupedum, bipedum, inſectorum, & ſingulas cu ſingulis comparamus, vitas perfectorum cum imperfectis, perfectiſſimoru cum imperfectiſſimis, quadrupedum cum vario inſectorum genere, qu mirificas vitae, formaeque metamorphoſes percurrit, heu, quam diue multorum vita eſt, vel potius, quam diuerſis infinita Sapientia med vnum & eundem effectum, id eſt, vitam aſſequitur, & Proteo in Sch matiſmis mutabiliorem naturam ſiſtit, exemplisque creberrimis actu exiſte tia producit, quae poſſibilia hominum nemo ſibi relictus crediꝺiſſet?

b) Meretur omnino huc conferri Anglus, Scriptor incomparabilis, cui n men eſt *Hervey*. Meditationum, quibus indulſit, grauitati reſpondet ſt ſublimitas, & pietati, quam profitetur, adcurata eruditionis haud vulg ris ſoliditas. Quarum meditationum collectio proſtat in noſtram transla vernaculam ſub hac inſcriptione: *Erbauliche Betrachtungen über die Herrlic keit der Schoepfung &c.* Ex his videatur hoc loco illa, quam inſtituit *üb den geſtirnten Himmel.* p. m. 350. ſ.

ſuam ab exiſtentia alicuius rei, quam ſibi ſemel repraeſentauerit vt exiſtentem. Verum hoc a priori demonſtrare, eſt impoſſibile.

§. 12. Fluit itaque prono alueo argumentum ſequens: *Quicquid non contrariatur perfectionibus diuinis, illud, quatenus ex ipſis petendum eſt, poteſt ſtatui. Atqui Non-annihilatio Brutorum non contrariatur perfectionibus diuinis. Ergo -- poteſt ſtatui.* Maior ex ſe patet & ex §. 2. Minor ex antecedentibus §§. 7-11. Atque ita credimus, capiti primo ex §. 5. ſoluendo factum eſſe ſatis.

§. 13. Jam inueſtigandum nobis eſt, quid ſuadeant pro brutorum duratione relationes & nexus huius vniuerſi? conf. §§. 4. & 6. Intercedunt quippe bruta inter & reliquas creaturas nexus & relationes. Quorſum tendunt? Videmus omnia in deſtructionem & corruptionem abire. Prodeunt, abeunt alia atque alia. Antecedanea vrget & excipit conſtans nouorum phaenomenorum ſucceſſio, vt Vniuerſi huius ſyſtema nonniſi theatrum *c*) referre videatur, in cuius ſcenas prodire, abire, Summus rerum Arbiter iubeat modo hoc, modo illud, quicquid voluerit, & incerto expectandum ſit deſiderio, quod vltimum ipſe eſſe voluerit drama, quo vela ruant tempore, & aeternum ſpectacula prohibeat ſiparium.

§. 14. An vera haec ſit facies, quae ex primo & leuiſſimo huius mundi intuitu ſe nobis offert, videamus. Deprehendimus vtique in ordine huius rerum Vniuerſitatis ſplendorem aliquem & magnificentiam, teſtem Conditoris ſplendidiſſimi irreſiſtibilem. Adparet ex Toto & partibus originis aliqua Diuinitas, cuius grauitati tam inanis & luſoria rerum in hoc mundo conditio, quam *Epicurei* mihi fingere videntur, e diametro eſt aduerſa, adeoque admitti nequit §. 2. Certe itaque probabile eſt, finem eſſe aliquem nobilio-

c) Inde ex hoc intuitu *Socratis* illud natum mihi eſſe videtur, quod theſibus ipſius de affectibus inſertum legi: *in vita tamquam in theatro manendum eſſe, quamdiu rerum & operum huius vitae iucundum fuerit ſpectaculum.* v. *Stanleji* Hiſt. Philos. P. III. C. V. cum quo conſentit *Cicero de Senectute* C. XX. Ita fit, vt illud breue vitae reliquum nec auide appetendum ſenibus, nec *ſine cauſa* deſerendum ſit. Cauſam vero deſerendi iam praeberi ex ipſius hypotheſi, ſi vitae huius ſpectaculum non fuerit iucundum, docet *Catonis* hiſtoria Vticenſis. v. *Brukeri* Hiſt. Crit. Philos. T. II. L. I. C. I. p. 56. ſ. quam vero ſententiam corrigere Cicero videri vult allegans Pythagoram, qui vetet, iniuſſu imperatoris, i. e. DEI, de praeſidio & ſtatione vitae decedere.

nobiliorem & fixum, propter quem hic mundus conſpiciatur propter quem exiſtant creaturae; propter quem exiſtant adeoqu & bruta.

§. 15. Quem finem ſi habueris exquiſitum, patebit quoque quis ſit *finis communis?* §§. 4. 6. Nimirum ille, propter quem quan maxime *tot* effectus produxit vnica omnium realitatum Cauſa effi ciens principalis.

§. 16. Si exiſtentia Totius, adeoque omnes omnium partiun mundi exiſtentiae ad vnum quiddam collineant, erit *id* nobis, *a quod* collineant, *centrum;* & *centrum* proinde *commune*, ſi eò ex ne xus ſui ratione omnes, adeoque *plures ſimul* collineant.

§. 17. Manifeſtatur ex toto mundo adſpectabili Deus inuiſ bilis. Argumentantur itaque, *finem*, quem intenderit infinitu ille Intellectus hunc mundum ſibi repraeſentans exiſtentem, *eſſe ſi extra ſe manifeſtationem d*). Qui quidem finis ſatis eſt nobilis, & longe nobilior, quam quem admittunt Epicurei.

§. 18. Jam Bruta ſunt partes Totius noſtri. Produnt infinit illorum genera & ſpecies infinitam Creatoris potentiam; multiple rationum ſeſe multiplicandi & conſeruandi varietas voluntaten infinite bonam, liberrimam, ac ipſis naturae legibus ſuperiorem artificioſiſſima & elegantiſſima artuum ſtructura ſapientiam infini tam. v. *Nieuwetyts* rechter Gebrauch der Welt-Betracht. p. n 352. ſſ. & *Derham* Phyſico-Theolog. L. IV. CC. VIII - XV.

§. 19. Quare cum finis Totius (§. 17.) ſit manifeſtatio DEI idem eſt etiam partium. Cuius enim perfectiones quacunque exi ſtentia manifeſtantur, ille ipſe manifeſtatur. Atqui Brutorum exi ſtentia manifeſtantur (§. 18.) perfectiones DEI. Ergo. E. idem fini

quoqu

d) Ens ſibi ſufficiens, ſibi manifeſtiſſimum, alio certe non opus habuit fin Vid. quam præclare hac de re laudatus *Hervey* l. cit. p. 338. ſ. „Fraget ih „warum hat er alle Welten erſchaffen, vnd ſie mit einer vnbekanten Me „ge von Weſen erfyllet, die ſich alle nach einander in einer vnendliche „Steigerung immer reicherer Vorzyge, vnd immer edlerer Faehigkeite „erheben? Die Antwort iſt: *Zur Offenbahrung ſeiner eigenen Herrlichkei „vnd inſonderheit zur Mittheilung ſeiner unerſchoepflichen Gutthaetigkeit.* D „groſſe Schoepfer konte keinen Vortheil fyr ſich ſelbſt zum Endzwek „haben.„

uoque eſt brutorum, qui Totius, nimirum, vt manifeſtetur DEVS.

§. 20. Eo itaque tendunt relationes & nexus creaturarum, vt ua coëxiſtentia manifeſtetur DEVS; & *communis* proinde omnium ntium finitorum *finis* (§. 15.) eſt DEI extra ipſum manifeſtatio.

§. 21. Vbi manifeſtatur DEVS, ibi glorificatur. Nam Entis ealiſſimi, in quo reſidet omnium & infinitarum perfectionum omplexus, manifeſtatio, abſtrahendo ab eius gloria, concipi equit.

§. 22. Jam cum (§. 20.) omnium creaturarum finis communis t DEI extra ipſum manifeſtatio, collineant quoque omnes, adeoue & bruta, ex nexus ſui ratione eo, vt glorificetur DEVS. *Centrum* itaque & centrum quidem *commune* §. 16. omnium creaturum, adeoque & brutorum, eſt Gloria DEI.

§. 23. Exinde elici quid poteſt pro duratione brutorum? Cuuscunque finis conſecutio continuari poteſt in infinitum, illius & nedia continuari *poſſunt* in infinitum. Atqui manifeſtari DEVS oteſt in infinitum. conf. §§. 19. 20. Ergo exiſtentia e. gr. brutoum, qua DEVS manifeſtatur, continuari quoque poteſt in innitum.

§. 24. Poſſet heic iterum obiici: Poſſe Deum exſpirantibus rutis alia ſubinde ſubſtituere, quae neque ex naturali & conſueta eſe euoluendi ratione proueniant, ſed quae noua creatione, noua ebus facie induenda, producere ipſi ſit integrum. Verum equidem reſpondeo: 1) Haec aſſumere in philoſophia, eſt transgredi pſius limites. Nam nouam creationem ignorat in ſe Philoſophia, x ſola, ſi qua datur, reuelatione petendam. 2) Concedendo: Poſſe. Sed 3) conueniens eſt Sapientiae diuinae, media pro fine ptimo optima eligere, vt opus non habeat alia eligere, ſed electa etineat. Jam elegit Deus pro ſui extra ſe manifeſtatione quoque ruta. Ergo ex ratione conuenientiae quoque probabile eſt, retieri ab eo & conſeruari electa ſemel bruta.

§. 25. Stat itaque ſententia noſtra ſatis firmo munita argumento, cum demonſtratum iuerimus, *poſſe bruta durare in infinitum.* Quicquid enim cauſſa principalis efficiens & finalis admittunt, ſtatui oteſt. Atque durationem brutorum in infinitum admittit cauſſa rincipalis §. 12. & finalis §. 23. Ergo *poteſt* ſtatui.

§. 26. Succurrunt vero nobis alia pro Non-annihilatione Brutorum teſtimonia, quae excutere non abs re eſſe credimus. Propius illa ad ſcopum nos noſtrum deducere videntur. Fiat itaque & quidem ab intuitu iterum Vniuerſi deſcendamus ad naturan ipſam Brutorum.

§ 27. Prouocat nos *Mr. Paſcale*), Gallus, Philoſophus grauiſſimus, ad contemplationem naturae vniuerſae eiusque immenſam maieſtatem. Juuat nos eius ipſa heic proponere verba: „Qu„l'homme conſidere cette éclatante lumiere, miſe, comme un„lampe éternelle, pour eclairer l'Vnivers. Que la terre lui pa„roiſſe comme un point, aux prix du vaſte tour, que cet aſtr„décrit. Et qu'il s'étonne de ce, que ce vaſte tour lui-mêm„n'eſt qu'un point trés-delicat, à l'égard de celui, que les aſtres„qui roulent dans le firmament, embraſſent. Mais ſi nôtre veu„s'arrête-là, que l'imagination paſſe outre. *Elle ſe laſſera plûto„de concevoir, que la Nature de fournir.* Tout ce, que nous voion„du monde, n'eſt qu'un trait imperceptible dans l'ample ſein d„la nature. Nulle idée n'approche de l'étenduë de ſes eſpaces. „Nous avons beau enfler nos conceptions, nous n'enfantons, qu„des atômes, au prix de la réalité des choſes. *C'eſt une ſphere in„finie, dont le centre eſt par tout, la circonference nulle part.* Enfir„c'eſt un de plus grands caracteres ſenſibles de la tout-puiſſanc„de Dieu, que nôtre imagination ſe perde dans cette penſée. - „Tout ce, que (l'intelligence de l'homme) peut faire, eſt d'aper„cevoir quelque apparence du milieu des choſes, *dans un déſespoi„éternel d'en connoître ni le principe ni la fin. Toutes choſes ſont ſor„ties du néant, & portées jusqu' a l'infini.*„

§. 28. Nolumus eſſe in recenſendis magni huius Viri dictis prolixiores. Videantur, ſi placet, citata in toto ipſorum nexu, quibuscum ſuauiſſime conſonant, quae pluries laudatus *Hervey*, loco ſupra allegato, pro ſui ingenii acumine & eruditionis amplitudine profert. Nobis mox recitata ſatis argumentandi ſuppeditant materiae. Aperiunt nobis vaſtiſſimum naturae ambitum, nullo

e) v. eiusdem Penſées ſur la Religion. Vlme. MDCCXVII. Quae heic allegatur meditatio, eſt ordine XXIIda, &: *Connoiſſance generale de l'homme:* inſcripta.

o hominis ingenio metiendum, neque viuaciſſimae phantaſiae agitatione transuolandum. Siſtunt nobis eam ipſam tamquam ſphaeram infinitam, cuius centrum ſit vbique, peripheria nusquam. Neruoſiſſima deſcriptio Infiniti! Omnia aſſerunt prodiiſſe ex nihilo, continuata in infinitum. Quae niſi diuina potentia tam ſtupendos produxit effectus? Quem in finem produxit, ſi non ad gloriae ſuae manifeſtationem? Si itaque hunc ob finem res *reſpectu multitudinis* creauit infinitas, quid impediat, quominus nobis perſuaſum habeamus, easdem Deum quoque *reſpectu durationis* voluiſſe eſſe infinitas? Vbi enim eadem eſt ratio, ibi idem ſtatui poteſt. A. in vtroque hoc caſu eadem eſt ratio, ergo. Ergo eadem infinitudo quoque ſtatui poteſt durationis reſpectu. §. 25.

§. 29. Ponamus, ſtatutum eſſe huic Vniuerſitati tempus, quo euaneſcendum ipſi ſit, nulla reuolutione reuocandae. Ponamus, annihilari praeter hominem, cuius palpabilior non ſine iure videtur immortalitas, omnia inferiora creata. Quid elici inde poſſet? Ergo placuit Deo *aeterno* ſubſtantias producere, quibus *ad tempus* manifeſtaretur? Ergo placuit Deo liberrimum ad tempus decretum, quod alio tempore reuocat tamquam diſplicens, & cui, vti in parte theologica demonſtrabimus, nondum factum eſt ſatis. Annon huiusmodi ſententiarum varietates contrariari immutabilitati diuinae videntur? Certe enim quo conſtantior eſt finis aliquis glorioſus, eo magis ad aeternam DEI Optimi accedit naturam. A. tam temporalis finis eſt minus conſtans; E. minus accedit ad aeternam DEI Optimi naturam. Ergo prior conſtantior praeferendus certe eſt tamquam probabilior poſteriori huic minus conſtanti.

§. 30. Jam deſcendamus ad ipſam naturam Brutorum, & *f*) cum ad animae eorum adyta penetrare nobis datum non videatur; ſubſiſtamus in ea, quam de corporibus cognitam habemus, natura.

§. 31.

f) *Thomaſius*, de quo in prologo, allegat Scriptorem quendam Gallum hac de occulta re ita dicentem: - - - Dieu ne nous a pas clairement revelé, ou fait connôitre la nature des animaux; nous important plus de connôitre la nôtre, que la leur.

§. 31. Offerunt ſe nobis corporum animalium ita diſpoſita, vt euolutionibus infinitis ſubeundis ſint aptata. Hoc eſt, videmus, ea eſſe organiſata; habere eandem indolem, ac omnis materia; nulla typi vel ſtatus ſemel aſſumti gaudere conſtantia, ſed ſubinde ad alium inclinare, ad aliumque praeparari, ea tamen lege, vt nullum ſuam, in quam formatum eſt, ſpeciem, deſeruiſſe vmquam videatur. Conf. *Excell. Dn. Prof. Ploucquet Princip. de Subſt. & Phaen.* C. XVI.

§. 32. Jam haec corporis organiſati indoles aut deſinet aliquando, aut continuatur ex ſua natura §. 31. in infinitum. Si prius, tunc fruſtranea eſt ea eius diſpoſitio, qua *in infinitum* euolui poteſt. Atqui temeritatis hoc eſſet dicere. Deus enim & natura nihil faciunt fruſtra. Si poſterius, tunc neque vltimus datur terminus, quo ceſſet haec corporis organiſati indoles, ſed alia atque alia mutatione alium atque alium induit typum, nullâ vmquam deſtruenda. Adeoque & ipſa natura corporum non poſſibilem modo, ſed valde probabilem ſiſtit Brutorum Non-annihilationem.

§. 33. Ex ſua hypotheſi idem ſtatuit *Illuſtris Leibnitius*. Corpus vocat *g*) aggregatum ſubſtantiarum ſimplicium, ſ. monadum. Monadem negat eſſe diſſolubilem, nec naturaliter, id eſt, niſi Deus abſolute velit annihilatam, interire poſſe. Jam cum corpus ſit aggregatum ex monadibus, illud quidem diſſolui, ſed partes eius ſimplices interire non poſſe. *Neque vllum viuum poſt mortem naturalem deſinere exiſtere*, adeoque cum hac non coniunctam eſſe deſtructionem integram *h*), ſed durare tam diu, quam diu duraturum ſit Vniuerſum *i*), quod mutandum quidem fuerit, ſed non deſtruendum &c. &c.

§. 34. Cuicunque itaque adhaeſerit quis ſententiae, vel Leibnitii *k*), vel noſtrae, ab vtraque is deducitur ad hanc veritatem:

anni

g) v. eiusdem Principia Philos.

h) Conf. §. 3. diſs. noſtrae.

i) Ita Viri Summi mens repraeſentatur in eius vita a Dn. *de Neufville* ſcript. & Tentam. Theod. praemiſſa p. 146. edit. lat. D. D. Prof. Steinhoferi.

k) Sententia Leibnitii & noſtra non ſunt inter ſe oppoſitae. Leibnitius de corpore in genere agit; nos de organico. Sed nec Leibnitii ſntentia cum noſtra connecti poteſt: poſita enim perpetuitate exiſtentiae monadum, non

dum

nnihilationem brutorum probari non poſſe; poſſibile vero, quin
alde probabile, ſi non certum atque extra dubii aleam poſitum,
ſſe contrarium. Euictum enim iam eſt a nobis atque oſtenſum:

l) *Quicquid* α) *perfectiones diuinae*, β) *rerum finis*, *ac* γ) *natura admittat*, *eſſe poſſibile.*

A. Durationem brutorum in infinitum admitti ita.

E. eſſe poſſibilem.

§. 35. Quam vero praeciſe formam indutura ſint Bruta, quem
d ſtatum tranſitura in notabili illa rerum reuolutione, eiusque
anſitus modum, determinare, nobis non incumbit. Arbitramur
nim, Philoſophum Chriſtianum includi intra duos terminos,
uos ſpecialia determinando transgredi, ſit temeritatis. Alterum
rminum, a quo? iudicamus eſſe terminum *creationis*, Gen. I, 1.
lterum, ad quem? eſſe *conſummationis*, de quo meditetur ex di-
to illo I Cor. II, 9. 10. Quare ſi quidem accuſer a Lectore ma-
is curioſo, quod ipſius exſpectationi nondum fecerim ſatis, ille
el plura ex ſcripta petat reuelatione, adeoque beneuole partem
oſtram adeat theologicam; vel ſuam pie continuet exſpectatio-
em ipſa laeta ſatiandam experientia.

Pars Theologica.

§. 1.

Quae *Ratio* ſuſpicatur tamquam valde probabilia, ea, vt certa,
vt vera exhibet *Reuelatio*. Vtraque diuerſa inter ſe, vt nox
dies, diuerſis ſuas theſes adſtruit fundamentis. Illa, fieri quid
ſſit, coniicit; haec, quid *debeat* ex voluntate liberrima, beatiſ-
ma Supremi rerum Moderatoris, ex ipſo eius animo depromtum
ortalibus offert. O diuinum Oblatum! de quo noſtro homi-
num

dum ſequitur continuata exiſtentia brutorum ſub ea ratione formali, vt tamquam bruta exſiſtant.

l) Ad demonſtrationem minoris referatur
ad α) §. 12.
ad β) §. 23.
ad γ) §. 32.

num generi maximopere gratulandum. O felices, ſi id gratiſſim
mente numquam non exoſculemur!

§. 2. Offert vero nobis Reuelatio, quod *DEVS* vult fieri
Itaque cauendum, accipiamus ita, vti *nos* volumus, vti noſtri
vel ingeniis vel praeiudiciis eſt commodum. Suo ergo lumin
mihi adſit diuinior Spiritus! Auctor reuelationis diuinae ſit Aucto
meae cognitionis, meaeque magiſter voluntatis!

§. 3. Oraculum, quod noſtrae diſſertationis eſt fundamen
tum, Paulus ad Rom. C. VIII. ita effert:

℣. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τȣ̃ θεȣ̃ ἀπει
δέχεται.

℣. 20. τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, ȣ̓χ ἑκȣ̃σα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑπο
τάξαντα,

℣. 21. ἐπ᾽ ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δȣλείας τῆ
φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τȣ̃ θεȣ̃.

℣. 22. οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τȣ̃ νῦν.

§. 4. *Verſio Latina*, quae mihi eſt in manu, Tubingae A. MDLXIIII
in 4to edita, & *D. Joh. Brentii* in ſacros libros prooemio & *D*
Hieronymi prologo praemunita, ita hoc oraculum reddit nullis di
ſtinctum verſibus: „Nam exſpectatio creaturae reuelationem filio
rum DEI exſpectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non vo
lens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: (margo: in ſpem
quia & ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis, in liber
tatem gloriae filiorum DEI. Scimus enim, quod omnis creatur
ingemiſcit, & parturit vsque adhuc.

§. 5. Idem in egregia verſione *gallica* Domini *Pierre Roques*
quam nonniſi ſemel a fonte aberrantem deprehendi, quum Ge
II, 6. ſine fundamento neget, quod codex Ebraeus affirmat, it
exprimitur: v. 19.) „Car le grand & ardent déſir des créatures
eſt qu' elles attendent, que les enfans de Dieu ſoient révélés
(*v.* 20. *&* 21. *combinantur*) (Parce que les creatures ſont ſujette
à la vanité, non de leur volonté; mais à cauſe de celui, qui les
a aſſujetties) *elles l'attendent*, *dis-je*, dans l'eſperance qu' elles ſe
ront auſſi délivrées de la ſervitude de la corruption, pour être e
la liberté de la gloire des enfans de Dieu. v. 21. (22.) Car nou
ſavon

ſavons que toutes les créatures ſoûpirent & ſont en travail enſemble jusques à maintenant.,,

§. 6. A B. D. *Luthero germanice* ita legimus translatum: v.19. ,,Denn das aengſtliche Harren der Creatur wartet auf die Offenbahrung der Kinder Gottes. v. 20. Sintemahl die Creatur vnterworffen iſt der Eitelkeit, ohn ihren Willen, ſondern vm des willen, der ſie vnterworffen hat auf Hofnung. v. 21. Denn auch die Creatur frey werden wird von dem Dienſte des vergaenglichen Weſens, zu der herrlichen Freyheit der Kinder Gottes. v. 22. Denn wir wiſſen, daſs alle Creatur ſehnet ſich mit vns, vnd aengſtet ſich immerdar.,, Variat verba *B. D. Bengelius* atque vernaculae noſtrae oraculum idem ita exhibet: ,, Denn das Sehnen der Creatur erwartet die Entdekung der Soehne Gottes. Denn der Eitelkeit iſt die Creatur unterthan worden, nicht freywillig, ſondern vm deswillen, der ſie vnterthan hat, auf Hofnung, daſs auch ſelbſt die Creatur wird befreyet werden von der Knechtſchafft des Verderbens zur Freyheit der Herrlichkeit der Kinder Gottes. Denn wir wiſſen, daſs alle die Creatur zuſammen ſeufzet vnd zuſammen kreiſtet bisher.,, Cel. D. *Heumannus* denique ita vertit: ,,Denn die ſehnliche Hofnung der Creatur wartet (*im Grabe*) auf die Offenbarmachung der Kinder Gottes. Denn die Creatur iſt der Vergaenglichkeit vnterworffen nicht nach ihrem Willen, ſondern weil es Gott alſo geordnet hat, jedoch auf Hofnung. Denn auch die Creatur ſelbſt wird von der Dienſtbarkeit des Verderbens (*der Verweſung*) befreyet werden, zu der Zeit nehmlich, wann die Kinder Gottes zu der herrlichen Freyheit gelangen werden. Denn wir wiſſen ja, daſs alle Creatur, ſo lange ſie hier (*in dieſer Welt*) iſt, mit vns darnach ſeufzet vnd aengſtlich ſich darnach ſehnet.,,

§. 7. Hae ſunt verſiones, quas in ſubſidium vocare ex adparatus noſtri mediocritate nobis licuit. *Conueniunt* illae omnes quam maxime in eo cum textu graeco, quod

α) id, quod vocabulo της κτισεως innuatur, ſubiectum ſit vanitati & corruptioni, quae primus eius finis non fuerit; cui ab initio deſtinatum non fuerit;

β) liberandum ſit ab hac ſeruitute;

γ) eo

γ)- eo tempore, quo manifeſtati fuerint filii DEi; adeoque
δ)- hanc manifeſtationem exſpectet.

Diſcrepant

α) in explicatione κτισεως, per quam

א) Latina, Gallica, Lutherana, Bengeliana, *omnem rem creatam*;

ב) *Heumanniana* in nota & parentheſi corpus humanum intelligit; proinde diſcrepant quoque

β) in explicatione της φθορας, quam

א) Priores quatuor interpretantur de corruptione *vniuerſali*

ב) Heumanniana de *ſpeciali* corporis humani in ſepulcro aſſumit.

γ) in explicatione της ματαιοτητος, quam iterum

א) Priores de *vanitate*, malo *vniuerſali*,

ב) Heumanniana de *fragilitate*, malo corporum humanorum *ſpeciali*, exponi volunt.

Nobis planiſſima & optima quaeque Verſionis cuiusque arrident, quibus in ſubſequente noſtra expoſitione vtemur; de caetero longe inferiores, quam qui noſtrum de diſſenſu aliquo Virorum, quos Eccleſia tamquam fulcra & ornamenta merito exoſculatur, feramus iudicium.

§. 8. Plures vero adhuc & ſexcentae proſtant huius dicti expoſitiones, quarum recenſione vereor, ne vires intellectus noſtri, cui incumberet, eas digerere, potius ſupprimantur, quam acuantur & eleuentur. Si cui vero cordi ſit, eas noſſe, abeat ad *diſſ.* ſ. cit. B. D. *Weismanni*, & inprimis ad *Joh. Chriſtoph. Wolfii Curas Philol. Crit* T.III. in h. l. In genere autem huc redire mihi videntur

I. Sunt, qui per vocem κτισεως *omnem creaturam viſibilem* intelligunt; vti, teſte *Petauio*, de quo & pluribus *Wolfius* l. cit. p. 147. *Patres veteres. Lutherus* in Poſtilla Eccleſ. in Ep. Dom. IV. poſt Trin. conc. 1. fol. 192. b. & 193. a. *Antonius* in ſeiner erbaulichen Anmerkungen yber die Ep. an die Roemer, ad h. l. p. 397. *Rambachius* in ſ. ausfyhrl. Erklaerung der Ep an die R. ad h. l. *Bengelius* in Gnom. N. T. Venerandus & Soliſſimus Dn. *Storrius* in ſua Poſtilla p. 192. edit. IIdae. A quibus neque alienus eſt S. R. *D. Sigmund Jac. Baumgarten* in der Auslegung des Briefs Pauli an die Roemer ad h. l. p. m. 477.

II

II.) Sunt, qui *Angelos* indicari putant, tamquam qui hominibus diuino nutu inſeruire debeant, quamuis vanitati ſubiectis. Inter huius ſententiae fautores refert Wolfius *Trillerum* in examine locorum quorundam N.T. p. 55. ſſ.

III.) Sunt, qui de hominibus interpretantur ſpeciatim *gentilibus*, qualis ſit *Lockius* in Comment. ad h. l. & *Lightfootus*; vterque Anglus.

IV.) Quidam *gentiles* eſſe, ſed *conuerſos*, arbitrantur, quibus opponantur Judaei, primitias Spiritus habentes. Ita *Clericus* ad Hammondum.

V.) Aliis per κτισιν πασαν *regeniti* innuuntur, & per υιους θεου *beati in coelis*, &, qui primitias Spiritus habeant, *Apoſtoli*. v. *Ittigius*, *Deylingius*, *Foerſtchius*.

VI.) Aliorum de hoc vocabulo ſententia fuit alia, indigitari ita *ordines & ſtatus huius mundi* ex bonorum deſiderio omnino emendandos. Hanc fouebat *Loeſcherus* ſententiam.

VII.) *Lakemacherus* in Bibl. Brem. Claſs. VII. p. 618. ſibi perſuaſit, *hanc Pauli pericopen ad ſingularem Judaeorum hypotheſin reſpectum habere.* Nempe crediliſſe hos, fore, vt Meſſiae tempore res creatae, Adami lapſu deprauatae & corruptae, integritati ſuae reſtituantur, vt ad ſuae gentis vſum eo eſſent aptiores. Quam creaturarum in Meſſiae regno reſtitutionem חדוש העולם, mundi innouationem, ſeu Vniuerſi huius, quod propter ſe ſolos conditum exiſtimarent, inſtaurationem adpellaſſent *m*). Cuius ſententiae adplicationem poſtea reiectam merito v. cit. Wolf.

VIII.) Cel. D. *Benner* in diſs. ad h. l. anno 1737. ventilata, accipit de *Eccleſia N. T. & militante & triumphante*, quem vero confutaturus adgreſſus eſt Paſtor eruditus, *Zimmermannus*, in der Hamburg. vermiſcht. Biblioth. T. I. p. 914. ſſ.

IX.) *Turretinus*, iunior, in Praelectionibus in Ep. ad Rom. h. l. κτισιν *ad genus humanum*, &

X.) S. R. *D. Burgius* cum *Syrbio* in diſs. de deſiderio hominis infinito §. XVI; ad *humanam* reſtringit *naturam*.

XI.)

m) Buxtorffius in Lex. Chald. &c. prouocat hic ad *Rambam* (R. Moſe Ben Maimon) in Moſe, Ikkarim Orat. I, Cap. 23.

XI.) A Paſtore Curlando, Dno. *Heſſelbergio* exponitur per *Bruta irrationalia*, quae poſt interitum mundi integritati ſuae ſint reſtituenda. cit. Hamburg. Bibl. p. 236.

XII.) Nouiſſime Cel. D. *Heumannus*, ſuam *de corpore humano* ſententiam vrget *in ſeiner* Erklaerung der Ep. an die Roemiſche Chriſten; cum quo vero facere expreſſis verbis negat Cl. D. *Baumgarten*, l. s. cit. not. (74.) Plures & nouiſſimas hac de voce ſententias Idem D. Heumannus ibidem recenſet. Atque ita ſane comprobata hactenus ſunt adhuc poſt funera viui noſtri *Weismanni* verba in Diſs. §. 10. v. fin. „Regnabit haec varietas cogitationum de hoc textu apoſtolico in poſterum.„

§. 9. An vero illi varietati finem imponet tyro? Aut quid agendum in tanta ſententiarum de vnico vocabulo diuerſitate? Quam aſſumat tyro caeteris non offenſis? Quas ſuo loco relinquat vna ex multis aſſumta? Agam, vti equidem egi, cum ad meditationem de hoc oraculo adductus eſſem. De aliis, quid ſentirent, minus ſollicitus, omnem *in re praeſenti & toto Reuelationis ſyſtemate* poſui cogitationem. Meo tyronis examine ſuperiora ſunt Doctorum cogitata. Mea, ad quae meditationum lumini diuino commiſſarum ductu perueni, lubens Doctorum ſubiicio examini.

§. 10. Generaliſſime itaque ante omnia tradam in conſpectum, quae ſint contenta oraculi. Poſt demonſtratam eius expoſitionem oſtendam, quid inde ſecundo, quod aiunt, flumine deriuetur pro *duratione ſ. Non-annihilatione Brutorum*, & quae mihi de ea cogitandi ſubnata fuerit occaſio.

§. 11. Docet nos Paulus in hoc oraculo

I.) in genere, *exſpectari* a creatura manifeſtationem filiorum DEI, v. 18.

II.) *rationem duplicem* huius expectationis,

1.) quia *nolens* ſubiecta ſit vanitati; v. 20.

2.) ab ea liberanda, ſi manifeſtati fuerint filii DEI, v. 21.

III.) exſpectationem hanc eſſe *vniuerſalem*, &

IV.) *durare adhuc*. v. 22.

§. 12. Primum membrum igitur propoſitionis Paulinae ſiſtit nobis alterum praedicatum της κτισεως, ex quo de ea cogitemus, vocabulo

:abulo emphatico: η αποκαραδοκια. Quod eſt compoſitum ex prae-
oſitione απο; ſubſtantiuo καρα, vel καρηνον, caput; & verbo
οκαν, obſeruare, exſpectare, attendere. Praepoſitio in compoſi-
is ſignificat *inde*, *ex eo*, vti Sal. *Glaſſius* Philol. ſ. L. III. Tract. VI.
. m. 1075. eius exemplum affert a verbo: απελπιζειν, *inde ſperare*;
el intendit etiam ſignificatum, vti in απεκδεχεσθαι, quod Idem per
liunde aliquid cum gaudio, vel ex corde exſpectare, exprimit. Verti
:aque hoc poteſt modo: obſeruatio, exſpectatio ſollicita; cum
uo, meo iudicio, optime conuenit verſio germanica Heumanni.
Conſtruitur vero cum απεκδεχεται, verbo eiusdem fere ſignifica-
onis. Inde Glaſſius in Rhet. ſacra C. IV. p. 1478. ſ. annotat, eſſe
ıetonymiam adiuncti, qua *abſtractum pro concreto* ponitur. Quae
reſoluatur, hunc inſinuat ſenſum: *Inde, ex eo enim, quod in nobis,
liis DEI, manifeſtanda eſt DEI immutabilis gloria, majeſtas, ſ. diui-
arum perfectionum ſumma n)*, v. 18. η κτισις *ſollicite, exerto quaſi ca-
te, & ex intimo corde obſeruat, attendit, &*, quod alterum eſt prae-
icatum, απεκδεχεται, *cum gaudio exſpectat.*

§. 13. Obiectum huius exſpectationis tam vehementis eſſe
idemus την αποκαλυψιν των υιων τȣ Θεȣ, manifeſtationem filiorum
EI. Οι υιοι τȣ Θεȣ, filii DEI vocantur v. 1. qui ſunt in Chriſto
eſu, qui ambulant ſecundum Spiritum; qui v. 14. Spiritu DEI du-
ıntur, aguntur; qui v. 17. haeredes DEI & cohaeredes Chriſti
ıpellantur, qui cum Chriſto patiuntur. Atqui talia praedicata
onniſi hominibus competunt iuſtificatis ex fide, Rom. V, 1. ſſ. In
s iam manifeſtanda eſt alia, quam praeſens, facies, I Joh. III, 2.
ıanifeſtanda eſt ex v. 18. Capitis noſtri perfectionum diuina-
ım ſumma, ſ. idea Oetingeriana, vita DEI & imago; & vtique
ıanifeſtabitur eo tempore, quo ſuis ſe Deus dabit videndum, ſicut
t. Conf. l. ex Joh. cit. & Apoc. XXII, 4. Obiecto itaque & di-
niſſimo & certiſſimo reſpondet conſtans exſpectationis vehemen-
a. Vid. quoque *Bengelius* ad h. l.

§. 14. Subiectum eſt η κτισις. Deſcendit hoc vocabulum, vti
ılgus nouerit, a verbo κτιζειν, condere, fabricari, creare ali-
quid

n) Ita δοξα illa a Cel. D. Baumgarten loco §. 8. cit. C. I, 23. exponitur, quo-
cum conferatur Digniſſimi *Oetingeri Synopſis Theol. Breithaupt.* in Sylloge.
p. 91.

quid, & denotat *proprie* ipſum actum creationis; *improprie* vero ſumitur etiam pro κτισμα; quod rem ſignificat creatam. Praedicata iam ſubiecti huius cum priorem non admittant ſignificatum, relinquunt alterum improprium, quo *res creata* denotatur & quidem ex v. 22. res creata *omnis.* Cum quo adiuncto comite inuenitur etiam alibi: Ita legimus Marci XVI, 15. ita Col. I, 23. ſermo ibi eſt de Euangelio omni creaturae praedicando. Hominibus nimirum primario, reliquis vero creaturis, ſecundario. Nam quousque maledictio ſeſe extendit, eo certe vsque etiam ſeſe benedictio extendit & verbum factae reconciliationis. Et quae ratio eſt maledictionis, ea eſt etiam benedictionis. Ita *Bengelius* in Gnomone ad Marci XVI, 15. conf. in fonte Gen. III, 14. 17. 18. V, 29. VIII, 21. & Col. I, 20. *o*) Obtinet itaque ob paritatem rationis idem ſignificatus etiam hoc noſtro loco, vt hic inde emergat ſenſus: *Omnis creatura p*) *ſollicite, exerto quaſi capite attendit ad futuram filiorum DEI manifeſtationem, eamque exſpectat cum gaudio.* Neque quidem Angeli, ſpecies creaturarum coeleſtium, non auide exſpectant conſummandum DEI & CHRISTI myſterium. Conf. I Petr. I, 12. Sed obſtant quaedam praedicata infra euoluenda quo minus de iis hoc loco cogitare nobis ſit integrum.

Aliam praeterea huius dictionis vniuerſalitas patitur reſtrictionem. *Contradiſtinguitur* enim κτισις *filiis DEI.* Ad *improbos non* pertinet; nam hi reſpuunt media liberationis, ergo & ipſam liberationem. Sperandam filiorum DEI libertatem ſannis excipiunt; tantum abeſt, vt ſperent ipſi. Vel certe, ſi quam admittunt, non exſpectant *cum gaudio.* Adeoque *omnes excluduntur improbi*, comprehenſis reliquis creaturis, corporeis, animatis &, ſi quae dantur, inanimatis ſ. vita carentibus. Reliquae Eruditorum reſtrictiones nos non morantur; neque vlla nos vrget neceſſitas ab vſitata hac κτισεως ſignificatione recedendi, neque omni deſtituimur auctoritate humana. Ita enim quoque Bengelius ad h. l.

§. 15

o) Expoſitionem huius loci, ſi quisquam vmquam exhibuit planam, perſpicuam, ſolidam Paſtor Celeberrimus, *Dn. Steinhofer*, in ſeiner taeglichen Nahrung des Glaubens aus der Erkaentnis JESV nach der Ep. an die Coloſſer.

p) Vniuerſalitatem hanc verſio gallica bene exponit per pluralem. §. 5.

§. 15. Huius iam exſpectationis rationem, quam Paulus de creatura ſuppeditat, vnam ſubinnuit v. 20. particula γαρ, *enim*, nunc plenius explicandam.

§. 16. Τη ματαιοτητι η κτισις υπεταγη) Haec eſt ratio vna illius exſpectationis, quod *vanitati* ſit *ſubiecta creatura*.

§. 17. Ματαιοτης deriuatur ab aduerbio ματην, *fruſtra; incaſſum; in vanum.* Ita ματην ποιειν, fruſtra laborare; fruſtra laborem ſuſcipere. Vnde hunc Pauli ſenſum eruimus: *Creatura fruſtra hactenus laborare debet; ad ſcopum non peruenit*; v. P. Philos. §. 29. *non efficit, quod vult; quos parturit, non abſoluit partus, deiecta enitendi virtute; omnes ſuas vires ad omnes Creatori deſtinatos vſus ac fines exſerere, adplicare, exhibere, fruſtra hactenus annititur q).* Atque hanc nos quam maxime ſentimus vanitatis ideam, cum terrae exempli gratia fertilitas numquam aut noſtrae culturae, aut ſuis ab initio concreatis viribus plene reſpondeat. conf. *Rambach.* §. 8. not. I. cit. p. 566. ſſ. Aliam, huic amicam, vanitatis ideam nobis ſuppeditauere loca parallela, quae in LXX. Interpretibus quaeſiuimus. Sunt vero duo huius ſignificatus vocabula in textu Ebraeo, quibus totidem plerumque reſpondent graeca. Vnum eſt שָׁוְא quod legitur Job. XXXI, 5. אִם־הָלַכְתִּי עִם־שָׁוְא a LXX. ita redditum: ; δὲ ἤμην πεπορευμένος μετὰ γελοιαςῶν. alias *mendacium, falſitatem*, refert, vti Deut. V, 20. Alterum eſt הֶבֶל cui ſemel reſpondet graecum καταιγὶς, *procella impetuoſa*, vti Eſ. LVII, 13. ſaepiſſime vero noſtrum ματαιότης. Ita Eccl. IV. 7. 8. cuius contextus ideam ante traditam confirmat. Conferantur vero v. 14-16. C. I, 2. 3-8. 14. C. II, 1-11. 15. ſſ. III, 9. 10. 19. V, 6. 9. VI, 4. 9. 11. 12. VII, 14. 15. VIII, 10. 14. & Salomonis de vanitate idea inde eruatur. Quid nobis expertum ſe eſſe perhibet? Nihil ſub ſole eſſe conſtans. Abire omnia in corruptionem & conſumi. Conſtantem vero dominari rerum ſucceſſionem. Diuinae voluntati reſpondere ſucceſſus; noſtrae non item, neque ita a nobis abſolui coepta, vt ad finem aliquem

q) *Polus* in Synopſi. T. V. ad h. l. „*Vanitas* hic *fruſtrationem* ſonat, cum ſcilicet non aſſequimur, quod cupiebamus: creatura aliud ex alio propagans molitur immortalitatem quandam, ſed fruſtra. Finis proximus rerum creatarum eſt *incolumitas ſui ſtatus*. Hanc impedit corruptio, atque ita eſt cauſa fruſtraneitatis, i. e. vanitatis.„ ex *Piſcatore*.

quem certum, vltimum, tranquillum perueniremus, in quo acquieſcere nobis contentis ſit integrum. Sed continuari ſubinde ſpem aliorum Eccl. IX. 4. &c. ματαιοτης proinde *eſt conſtans inconſtantia, ſucceſſio, viciſſitudo & conſumtio rerum in hoc mundo adparentium r*). Quae quid inuoluat? quomodo dominetur creaturae? infra demonſtrabimus. Hoc vnicum praemoneo: Eruditis vox κτισις tantum operae & difficultatis faceſſiuit, quin cruci fuit. Equidem putauerim, illam obſcuritatis habere parum, ſed hanc ματαιοτητος ideam *vniuerſalem, non tam moralem, quam phyſicam*, quam maxime eſſe quaerendam, quaeſitamque euoluendam.

§. 18. Atque ita hanc vrgens ideam ego ſententiam Virorum *s*), quibus caeteroquin ſubſcribo lubens gratusque, neque nego, neque aſſumo; videar ſuppoſuiſſe.

§. 19. υπεταγη) *Subordinata eſt* creatura omnis huic calamitati, cuius lege fruſtra ſuas adplicare vires hactenus annititur. *Subiecta eſt* huic inconſtantiae, ſucceſſioni, viciſſitudini & conſumtioni in mundo dominanti. Qu. *Quis* ſubiecit creaturam? Quis ad dominium tam vniuerſale euexit vanitatem? ℞. De vlla creatura alia cogitari nequit: 1.) quia nonniſi *Creatori* competit *ſubiicere*. 2.) nulli ſubiecta erat creatura, cui pareat, niſi Adamo integro, ad voluntatem Creatoris imperanti. 3.) Adamus *ipſe*, labens, *ſe* ſuumque, quod repraeſentabat, genus vanitati ſubiecit. Proinde 4.) Dominio amiſſo amiſſum quoque erat eius exercitium. 5.) Illa vanitas, ſ. ſucceſſio rerum *ex parte*, quousque creaturae non fuit moleſta, iam *ante* lapſum hominis, ſed tamen ob eum praeuiſum habuit locum, adeoque & *Diabolus t*), cuius eo certe tempore ius in creaturam neque adparens neque verum fuit, ex idea *ſubiicientis* excludi debet. 6.) Subiecta eſt v. 21. εκ' ελπιδι. Atque ita a creatura ſubiici non potuiſſet. Ergo DEVS eſt, qui vanitati ſubiecit creaturam.

§. 20. ουχ εκουσα) Creaturam *non ſua ſponte* ſubiectam tenet vanitas. Illa huic *non volens* paret, ſed per ſe repugnat. Nam initio aliter

r) Huic ideae *Heumanniana*, ſed non reſtringenda ad corpus humanum, in verſ. §. 6. ſatis bene reſpondet.

s) Conf. §. 8. Nro. I.

t) Contra *Bryanum Turnerum, Hammondum, Lockium*; de quibus *Wolfius* loco ſupra citato.

aliter fuit, inquit *Bengelius* ad h. l. Melioris praeſenti Status ſibi quaſi conſcia eſt creatura; quare in hoc praeſenti poſita ſtatu ſecum ipſa non eſt contenta. Vide itaque, quam male Philoſophi quidam, debere creaturas cum praeſenti ſtatu eſſe contentas, contendant? quaſi eſſent adhuc, quae fuere? Equidem operae pretium eſſe arbitror, vt teſtimonium poſtulati tam peruerſi ad verbum examinem diuinum.

§. 21. *Dominus de Voltaire v)*, qui noſtro inprimis ſaeculo ingenii acumine praepollere videtur, ſuppeditat mihi tale *in notis ad meditationes Paſcalii de Religione.* Negat, vmquam creaturarum alium fuiſſe ſtatum. Ita vero incipit: „Paſcal impute à l'Eſſence de notre nature ce, qui n'appartient, qu'à certains hommes. - - J' oſe aſſurer, que nous ne ſommes pas ni ſi méchans ni ſi malheureux, qu'il le dit.„ P. 127. ita ad Paſc. I. med. reſpondet: Il eſt néceſſaire, pour qu'une religion ſoit vraye, qu'elle ſoit révelée, & point du tout, qu'elle rende raiſon de ces contrarietez prétenduës; elle n'eſt pas plus faite pour vous enſeigner la Metaphyſique, que l'Aſtronomie.„ Supponit hic homo, characterem religionis vnicum neceſſarium eſſe *reuelationem.* Negat humanae corruptionis vniuerſalitatem; negat, nos eſſe in ſtatu inferiori, quam quidem ex mente DEI eſſe debebamus, vt nobis non ſit, cur de miſeria aliqua vniuerſali queramur. Negat, religionis eſſe, vt repugnantiarum, quas chriſtiana contendit reuera dari, reddat rationem. Eſſe hoc Metaphyſices. Religionem vero aeque minus datam eſſe ideo, vt nos doceat Metaphyſicam, quam, vt nos doceat Aſtronomiam. Contra autem Sacra Scriptura, quae religionis eſt & fundamentum & norma, tota in eo eſt occupata, vt nos doceat, corruptam eſſe noſtram; debilitatam, preſſam, fractam vniuerſam naturam, & reſtaurandam & euehendam eſſe vtramque. Hinc gemere, hinc ſperare dicitur in noſtro textu.

§. 22. Pergit ille p. 128. „L'homme - Il eſt comme tout ce, que nous voyons, mêlé de mal & de bien, de plaiſir, & de peine. - *Si l' homme étoit parfait, il ſeroit Dieu, & ces prétendus contrariétez,* que

v) Vid. eius *Oeuvres* T. I. dans melanges de Litterature & de Philoſophie, p. 125. ſſ. Equidem ſi quid video, nihil agit hic auctor, niſi ſatyricum, cui nulla ſcientia tam ſancta eſt, quam non mordeat. Defendenda itaque eſt quaeque, quam quisque profitetur, & principiis tam periculoſis, quae ibi latent, obſtandum.

que vous appellez contradictions, *ſont les ingrédiens necéſſaires*, q entrent dans le compoſé de l'homme, *qui eſt* comme le reſte de nature *ce*, *qu'il doit être.* Voilà ce que la raiſon peut dire; ce n'e dont point la raiſon, qui apprend aux hommes la chûte de la n ture humaine, c'eſt la foi ſeule à laquelle il faut avoir recours. *Paſcalius* it demonſtratum, inuenire hominem ſibi relictum in boni & mali quid; inde mirificas oriri contrarietates & repugnan tias. In has iam inquirendum eſſe. Dari vnicum rerum princ pium, adorandum, amandum ſolum, quod itaque repugnantiaru illarum cauſa eſſe nequeat. Religionis eſſe, vt cauſam & med eluctandi monſtret &c. &c. Reſpondet Dominus *de Voltaire*, hu naturae lapſum a ratione, ſ. homine ſibi relicto non animaduert non percipi. Concedit, eſſe hominem mixturam boni malique ſed *abſolute neceſſariam* eſſe hanc mixturam, aſſerere non erubeſci Propterea hominem perfectum cogitari non poſſe, quia eſſet Deu Quaſi creatura, quae omnibus gaudeat bonis & phyſicis & mor libus, quae ipſi ex naturae ſuae idea ineſſe & poſſunt & deben *perfecta* non eſſet! *Quaſi malum abſolute eſſet neceſſarium!* Putet qui malum ab eo nonniſi ex hypotheſi vocari malum; re ipſa non ſt tui. Putet quis, malum *metaphyſicum* innui & *poni in eo*, *quod h beat limites*. Quomodocunque vertatur ſententia, errores foue Lenius loqui non poſſum. Aut enim admittit veri nominis m lum; aut non admittit; aut ponit malum metaphyſicum in lim tibus. Si primum; errat, quod ſtatuat, id neceſſarium eſſe in grediens in compoſitum hominis. Si ſecundum; errat, quod ne get. Si tertium; errat in definitione. Nam 1.) ex hac mali ide malum morale & phyſicum non poteſt deduci. 2.) quicquid e manu Dei prodit, ita prodit, vt nulla mali idea locum habeat Atqui hac definitione ponitur contrarium. 3) *illud eſt malum me taphyſicum*, *carere*, *deſtitutum eſſe eo*, *quod haberi debet ex idea natura ſuae*. Atque ita 4.) mali natura numquam conſiſtit in ſola priua tione, vel in ſolis limitibus, ſed poſitiuum quid eſt, quamuis ex pri uatione originem traxerit. Qua vera mali idea conſtituta patet 1.) creaturas iam non habere omne id, quod ex naturae ſuae idea haber poſſent. 2.) Dominari in mundo malum vniuerſale. 3.) Illud non eſſ abſolute neceſſarium. 4.) Perfectum poni poſſe hominem, quam nis non ponatur Deus. 5.) concordat Sacra Scriptura.

§. 23

§. 23. Opponamus vero Philoſophos extra communionem euelationis poſitos, qui melius & rectius ratiocinati ſunt. Videatur x) *Salluſtius* περὶ θεῶν καὶ κόσμȣ C. XII. Ἀλλὰ πῶς θεῶν γαθῶν ὄντων, καὶ πάντα ποιούντων, τὰ κακὰ ἐν τῷ κόσμῳ; - - - - - άγκη δὲ, εἴπερ ἐςὶν, ἢ ἐν θεοῖς εἶναι, ἢ νοῖς, ἢ ψυχαῖς, ἢ σώμασιν. λλ' ἐν μὲν θεοῖς ὀυκ ἔςιν. ἐπειδὴ πᾶς θεὸς ἀγαθός. - - ὀυδέτερον πρέπει εῷ. Ὅτι μὲν οὖν ὀυδὲν ἐν τῷ κόσμῳ φύσει κακόν - - - - C. XX. τὸν δὲ σμον ἐκ τελείȣ γενόμενον τέλειον εἶναι προσήκει. Hic Philoſophus genlis, quamuis in reliquis cœcutiat, fatetur tamen & ſtupet, *mam eſſe in mundo*; Deos eſſe bonos; ab his itaque prodire malum on poſſe; *eſſe perfectos*, *ergo & mundum* debere prodiiſſe ex manu eorum *perfectum*, neque quicquam eſſe in mundo, quod *ex natra ſua prima* malum eſſe debeat. Sed in fine denique *Voltairius* a ſuam aperit mentem: p. 132. - - Pourquoi nous faire horreur e notre être? Notre exiſtence n'eſt point ſi malheureuſe, qu'on eut nous le faire accroire. - - - *Penſer que la terre, les hommes les animaux ſont ce, qu'ils doivent être* dans l'ordre de la Providene, *eſt je croi, d'un homme ſage.*„ Quid apertius impugnare noſtrum oſſet textum hac ſententia? *Voltaire* vult, ſapientis eſſe, credere mnia eſſe ea, quae eſſe debeant ex diſpoſitione prouidentiae; adeoue & ſapientis eſſe, *lubens* eſſe, *quod eſt*. Scriptura inquit: Creaura non eſt, quod eſſe debet ex mente Creatoris; neque *lubens* on- eſt; ſed exſpectat. Jam in viam.

§. 24. αλλα δια τον υποταξαντα) Nulla in creatura erat cauſa, *quam* vanitati ſubiiceretur. *Sed* ſubiecta paret *ob ſubiicientem*, l eſt, *Deum*. conf. I Cor. VI, 27. Ebr. II, 5. 8. In Deo ſolo quaeendae ſunt huius ſubiectionis rationes. Jam interroget quis: uaenam itaque ſubeſſe poſſunt rationes? ℞. Placuit Deo ſapienſſimo, creaturas initio ſubiicere Adami, quocum intimum comercium habere voluit, imperio. Gen. I, 26. 28. Rex proinde creaurarum, a quo ornentur, regantur & in ſtatu ſuo conſeruentur, debebat

x) *Galeo*, in cuius *Opuſculis Mythologicis*, *Phyſicis & Ethicis* Amſtel. apud Henr. Wetſtenium Anno 1688. editis haec *Salluſtii*, Philoſophi, de Diis & mundo, cogitata legi, videtur hic Sallustius eiusdem cum *Simplicio & Proclo*, viris nobilioribus, fuiſſe aetatis. Sed alia quoque pro auctoritate huius Viri annectit teſtimonia.

debebat eſſe Adamus. Sed labitur Rex. Amittit cum Deo commercium; imperandi & potentiam & actum; corruptioni, morti traditus. Gen. III, 19. Rege iam lapſo, quomodo regnum ſtare incolume debebat? Deus offenſam hanc videt harmoniam regnum inter & regem. Quae vt ne manerent diſſona, debebat & ipſum regnum deiici de ſua ſtatus incolumitate, atque ita, vt Regi regnum redderetur conforme, Deus creaturas ſubordinauit vanitati, cui ſe ipſe Adamus. Ecce ſpecimen ſapientiae & libertatis diuinae! conf. Rom. IX, 20. XI, 33. Imo eſt quoque vltionis diuinae ſpecimen ex Leu. XXVI, 19. 20. Eſ. XXIV, 5. 6.

§. 25. ℣. 21. tradit alteram exſpectationis rationem. επ ελπιδι) *ſuper ſpe.* Gallica Verſio cum Vulgata & Caſtellionis referunt hoc ad απεκδεχεται. Alii ad υπεταγη, ad inciſum ſubſequens alii. Mihi videtur dependere ab υπεταγη, ita tamen, vt ſimul intime ſit coniungendum cum ſubſequenti οτι. Creatura vanitati ſubiecta eſt *ſuper ſpe, quia* &c. Spes vero eſt ſolida, certa, patiens bonorum euentuum exſpectatio, conf. v. 25. Itaque neque creatura ita vanitati eſt ſubiecta, vt non a Deo reaſſumeretur, ſed relicta ei ſpes eſt eluctandi, &, quod mavult, pleno Chriſti fruendi dominio. Matth. XI, 27. XXVIII, 18. Ps. VIII, 7. ſſ. Ebr. II, 7. 8. Joh. III, 35. XVII, 2. Eph. I, 20. ſſ. Quare interea *ſpei* quaſi *vincta* eſt etiam creatura, Zach. IX, 12. & ſpei quidem certae, ſolidae, quum ſuper ea ſit a Deo ſubiecta vanitati.

§. 26. Οτι και αυτη η κτισις ελευθερωθησεται) Fruſtratio, quae creaturam his premit ſaeculis, non eadem erit ſaeculis futuris. Creatura non attendit, non exſpectat, non ſperat fruſtra. *Nam* vtique *creatura ipſa*, non nos tantum homines, Chriſto ex ſpontaneo lapſu redacti v. 17; *liberabitur.* Quamdiu ſubiecta eſt Nonvolens, tamdiu non eſt libera. Liberabitur ergo aliquando. Repetitio κτισεως pronomine demonſtratiuo munitae innuit manifeſto, creſcere Pauli ſermonem a v. 17 -- 19. ſſ. quem vero deprimunt omnes reliquae de κτισει ſententiae. *Ita & ipſe contextus pugnat pro noſtra expoſitione.*

§. 27. Liberabitur vero απο της δουλειας, *a ſeruitute corruptionis.* Hic eſt terminus liberationis, a quo. Δουλεια eſt e diametro oppoſita τῃ ελευθερια. conf. Gal. IV, 24. 26. V, 1. 2. Joh. VIII, 33. 34. 36. Hactenus cedit & obſequium praeſtat, vt mancipium domino,

nino, tyranno, corruptioni creatura. Euehetur tamen ad eum tatum, quo nulla locum habet corruptio. Oppoſitum της φθορας ſt αφθαρσια, v. I. Cor. XV, 42. IX, 25. quae in gradu eminentiſmo ſumta eſt attributum ipſius Dei, Rom. I, 23. & denotat in Deo aturam labefactari, corrumpi neſciam. Hanc iam perfectionem Deus quoque in creaturis vult manifeſtatam. Proinde creatura, uae, ex lege vanitatis hactenus obligante, corruptionis non tantum apax, ſed obnoxia ei eſt, duram hanc ſtatuto tempore ſuperabit eceſſitatem, & ad florem, vigorem, incolumitatem perueniet erennem; vbi ipſi integrum erit, vires ſuas omnes, niſu non fruſtraneo, tempore non interrupto, exſerere; vbi durabilis erit, uamuis alterna careat requie; vbi itaque viciſſitudinibus obnoxia on erit.

§. 28. Putem, euentum hunc exoptatum deſcribi iucundiſſine in vaticinio Eſaiano, C. LXV. Liceat mihi illud pro explicaione aſſertionis meae proponere. Totam eccleſiam V. & N. T. ad nontem Domini, de quo v. Ps. II, 6. III, 5. XXIV, 3. Eſ. II, 3. XI, 9. XXV, 6. (coll. Matth. XXII, 2.) 7. 8. LVI, 7. vocatam, vocandam, n conſpectu tradit Eſaias v. 1. ſſ. Statum membrorum huius eccleiae dicit aliquando fore feliciſſimum, v. 13. ſſ. coll. Matth. V, 6. Apoc. VII, 16. 17. cultura eſſe illa vnice Deum *Amen* v. 16. coll. Apoc. III, 7. neque interpellatum iri ſtatum hunc a viciſſitudinius in hac terra dominantibus, nam v. 17. nouum creatum iri cœum, nouam terram; exſtincta priorum facierum memoria. conf. I Pet. III, 13. gaudia, exultationes fore ad aeua aeuorum, v. 18. eſſaturam eſſe miſeriam, fruſtrationem creaturarum, corruptioiem, conſumtionem, quum & bruta hactenus crudeliſſima omnem xutura ſint crudelitatem, v. 19 - fin. reſponſuros eſſe prouentus errae viribus, reſponſuros votis Ieſreëlis, ſ. ſeminis Dei. Hoſ. II, 8. ſſ. coll. Am. IX, 13.

§. 29. Reliquas vſitatas textuum horum expoſitiones de innoianda Eccleſiae facie, de noua & lautiori eius adminiſtratione in iac terra &c. equidem non nego, ſed fateor; textus illis non exiauriri; & meae expoſitioni auctoritatem addit ſpes Apoſtoli . Petr. cit. hac fulta promiſſione. Ita neque magnus ſaltus a vocanda Eccleſia vsque ad conſummationem eius impedit, quo miius vocatio & conſummatio ſibi vno quaſi proſpectu ſubiungantur.

Reſpondeat hic *Bengelius* in Gnom. ad Matth. XXIV, 29. not. 4. „*Prophetia eſt, vt pictura regionis cuiuspiam, quae in proximo tecta & calles & pontes notat diſtincte; procul, valles & montes latiſſime patentes in anguſtum cogit; ſic enim debet etiam eſſe eorum, qui prophetiam legunt, proſpectus in futurum, cui ſe prophetia accommodat --- In progreſſu autem & prophetia & proſpectus magis magisque etiam vlteriora explicant, quo pacto non diſtincta ex obſcuris, ſed obſcura ex diſtinctis debemus interpretari, & ſapientiam diuinam omnia ſemper videntem, non omnia ſimul reuelantem, in ſuis aenigmatibus venerari.*„ *Ita & vaticinia pugnant pro noſtra expoſitione.*

§. 30. Terminus liberationis, ad quem, eſt *libertas gloriae filiorum Dei.* Liberabitur creatura εις την ελευθεριαν της δοξης των τεκνων τȣ Θεȣ. Ita filii Dei primum quaſi ex omni creatura punctum ſunt, ad quod manifeſtatio IESV CHRISTI mirifica illa & longe glorioſiſſima dirigitur. Tit. II, 13. I Petr. IV. 13. Ita quoque & ordini & harmoniae reſtitutum eſt regnum Dei in hac iam terra eo vsque, vt ſuauiſſime conſonet filiorum Dei & creaturae deſiderium. Filii Dei manifeſtationem IESV CHRISTI; creaturae manifeſtationem & libertatem filiorum Dei exſpectant. Filii Dei, τα τεκνα τȣ Θεȣ, ſunt, quos §. 13. deſcripſi, &, qui (duce radice τικτω, genero) ſunt renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in aeternum. I Petr. I, 23. & quos v. 3. Pater Domini Jeſu Chriſti ſecundum miſericordiam ſuam regenerauit in ſpem viuam &c. Inſolentius heic praedicatum filiis Dei tribuitur. Dices: In quo conſiſtit *gloria filiorum Dei?* In quo *libertas gloriae illius?* ℟. Arridet nobis heic Bengeliana verſio, quae textum vrget, & genitiuo δοξης epitheti vim denegat. Δοξα, vti ſupra §. 13. & quatenus communicanda dicitur creaturae alicui, eſt *imago & vita Dei*, quam in homine Deus voluit radiari Gen. I, 27. quae hominem permeet & agat. Hac omnes deſtituit peccatum. Rom. III, 23. Eph. IV. 18. Hanc omnibus reſtituit Chriſtus, ipſa Dei & imago & vita. Rom. VIII, 29. Joh. I, 4. X, 28. XI, 25. XIV, 6. Col. I, 15. III, 4. 10. Ebr. I, 3. Qui itaque Chriſtum fide habent amplexum, reſtituta gaudent vita & imagine diuina. I Joh. V, 20. Quae vero adhuc eſt occulta Col. III, 3. geſtantibus hactenus terreſtris Adami imaginem I Cor. XV, 49. vanitatis tyrannide devaſtatam, deformem redditam, per quam omnibus modis neque iam

agere,

agere, neque libere cognoſci poteſt. v. *Beng.* ad Col. III, 3. quod ſi itaque Chriſtus, Vita, fuerit manifeſtatus, etiam haec manifeſtabitur in filiis Dei, & tunc radiabit omnibus libera, quum & corpus praeſens humilitatis noſtrae configurandum ſit corpori claritatis eius, Phil. III, 21. *Eſt itaque libertas gloriae filiorum Dei ille ſtatus fidelium, in quo, depoſito corpore humilitatis, imago & vita Dei nullis iam vanitatis iniuriis impedienda eos implebit totos, permeabit & perluſtrabit.* Jam creaturae quoque ſuo exuentur vanitatis iugo, *vt* ex hac hominum reſtitutorum gloria ad eas in ſuo genere redundet, quod ad eas ex hominibus non-lapſis, Gen. I, 28. imperii humani beneficio redundare debuiſſet. Ps. XXXVII, 11. Matth. V, 5. Apoc. V, 10. atque ita viciſſim, quod Beng. ex Cluu. annotat, *ipſa creatura inſerviet gloriae filiorum Dei,* vti regnum incolis frequens maieſtati Regis.

§. 31. Vltimo denique loco v. 22. indicatur deſiderii & exſpectationis hactenus deſcriptae *vniuerſalitas ac duratio.*

§. 32. Οιδαμεν γαρ) *Nouimus enim.* Particula γαρ rationem ſimul inſinuat certitudinis ac veritatis eorum, quae de creatura vix ſunt praedicata. Theſis Pauli ex *eminentiſſima* (Phil. III, 8.) cognitione Domini Jeſu Chriſti haec eſt: *Ipſa creatura vanitati a Deo ſubiecta liberabitur & reſtituetur.* Ratio huius theſeos altera in ipſa exſpectatione & ſuſpiriis creaturae ſita eſt. *Haec nouimus.* Nouimus inde, illa quoque iri exauditum. Gemitus enim creaturae aſcendit ad Creatorem, qui nullam negligit, reſpectu potius omnium habito. Job. XII, 7. ſſ. Ps. XXXVI, 7. C. III, 22. C. IV, 21. 27. 31. C. XXX, 25. CXLVII, 4. 9. CXLVIII, 7-10 Ezech. IX, 4. Joel. I, 18. Matth. VI, 26. X, 29. Luc. XII, 6. & Dominus Jeſus Chriſtus, vti eſt totius magiſter naturae, ita & omnis creaturae, vanitati quamuis ſubiectae, eſt Dominus. Ps. VIII, 2. 7. ſſ. XXXIII, 6. Jer. XXVII, 5. Matth. XI, 27. XXVIII, 18. Luc. X, 22. Joh. I, 3. Act. X, 36. I Cor. XV, 27. Eph. I, 9. 10. 22. Col. I, 15-17. Ebr. I, 2. 3. II, 8. hactenus vero hoſtes imperium in ſubditas Chriſti creaturas adfectant & ſaeuiunt I Cor. XV, 25. ergo futurum adhuc eſt eius plenum, *liberum* imperium, huiusque exſpectatio, quae creaturas coquit, ſolida. *Neutrum hoc Mr. de Voltaire vult noſſe, neque iuſtos creaturae angores, neque eorum ſolutionem.*

§. 33. Nihilominus verum manet vtrumque. οτι πασα η κτισιϲ συστεναζει και συνωδινει. *Omnis creatura ſimul ſuſpirat & ſimul parturit.* Egregie hoc reddidit *Verſio Bengeliana.* Malum, miſeria, calamitas

vniuer-

vniuerſalis vniuerſalem gemitum, luctum & dolorem extorquet. Vtrumque verbum ſtatui praeſenti creaturae apprime conuenit. Creatura omnis συςεναζει, *gemiſcit ex anguſtiis*, in quas a vanitate cogitur. συνωδινει, a partu dolet, quem tam diu non abſoluit. §. 17. Haec interim ſuſpiria colligit auris Dei vbique praeſentis, vbique propinqui. Ps. XCIV, 9. Jes. XXII, 14. LIX, I. Sap. I, 10. Quaeri ſolet: Quomodo dici poteſt, creaturam omnem exſpectare, ſperare, congemiſcere, cum non omni ſenſus competat? Reſpondent Viri docti, e. gr. *Glaſſius* in Rhet. ſ. p. m. 1638. ad ſimilem fere locum, Job. XXXI, 38. Si aduerſum me humus mea clamauerit, & pariter ſulci eius fleuerint &c. & B. D. *Canzius* in den Reinbeckiſchen Betrachtungen &c. P. IX. p. 228. ſ. ad h. l. *dici per proſopopoeiam*. Addo his meam reſponſionem: Natura tota vita plena eſt. Hanc theſin ipſi Philoſophi admittunt. Jam vbi vita eſt, ibi eſt ſenſus.

§. 34. αχρι τȣ νυν) Continuantur haec ſuſpiria, hi dolores omnis creaturae *vsque adhuc*. Saepiſſime τω νυν opponitur το μελλον, vti v. 18. & Matth. XII, 32. Innuitur itaque hac phraſi, *pridem* iam congemiſcere creaturam, vt ſubinde potuerit & adhuc poſſit obſeruari, & a nobis credi, ſed *tandem* deſituram eſſe creaturam congemiſcere, cum, cauſa gemituum ſublata, illa erit liberata. Tam diuturna ſuſpiria vniuerſae creaturae mouebunt vtique Deum Optimum, & quae deinde gemituum vehementi multitudini reſpondebit liberatio? Quid naſcetur aliquando, cum hactenus vniuerſa parturiat Natura? Quid ex inſigni hac futura rerum euolutione manet pie exſpectantes?

§. 35. Sed iam ſtrata ſatis ac munita haec ad veritatem noſtram patet via: *Voluit Deus extra ſe manifeſtari. Ergo iubet prodire creaturas. Prodeunt. Conſtituitur hoc Vniuerſum.* Gen. I. *Sed conſtituitur* ſucceſſive. *Cur itaque, cum verbo diuino numquam non reſpondeat euentus certiſſimus, celerrimus*, Ps. XXXIII, 9. Gen. I, 3. *non vno actu inſtantaneo, vno oculi ictu, vno momento idem Vniuerſum cum ſingulis incolis abſolutum exiſtit?* ℞. *Vidit Deus varias cauſas; vidit lapſum hominis irrepturum; vidit fine ſuo toti vno actu terrae excidendum fore; vidit, vti cum angelis lapſis, ita cum humano genere iri actum. Ergo moratur exiſtentiam creaturarum. Ergo ſtatuit* ſucceſſionem, *eique ſubiicit creaturas.* §. 19. *Inde coepit temporum ſeries. Vidit Omniſcius, vna quaſi temporis periodo, vno continuo aeone, abſolui, exhauriri rebus ita euntibus*

bus non poſſe, quae manifeſtari voluit Amor infinitus. Ergo voluit vnum aeonem eſſe praeparationem ſubſequentis. Ergo hic praeſens aeon eſt praeparatio ad futuros, quibus abſolui abſoluenda poſſunt. Ergo nondum in fine, in centro ſuo ſunt creaturae. Sunt eccentricae, quae lapſu Regis ſui, Adami, remotae & reductae ſunt a ſuo centro. Indé exſpectant, quia non ſunt in fine. Inde vrgent reditum ad ſuum centrum. Sed eo non perueniunt niſi reſtituto Rege; reſtituitur homo; reſtituetur & Natura. Sed alii ſubiicitur Regi, Adamo alteri; Capiti ſubiunguntur alii creaturae. Eph. I, 10. coll. v. 20. ff. Col. I, 16. ff. *Prior enim & lapſus Adamus ſe ipſe cum reſtituere non poſſet, honorem & gloriam reſtitutionis debet Adamo Alteri, CHRISTO.* Ebr. II, 8. 9. 10. *Hinc omnia eius ſpectant manifeſtationem. Ita* τα παντα (ȣ μονον) δι αυτȣ (αλλα) και εις αυτον εκτιςαι. και αυτος εςι προ παντων, και τα παντα εν αυτω συνεςηκεν Col. I, 17. *Omnia in illo convenerunt in vnum ſyſtema.* conf. Rom. XI, 36. *Ille eſt & Origo & Centrum & Terminus rerum omnium.* I Cor. VIII, 6. *Rege tanto eminentiori creatura non poteſt non lautiorem priori conſequi ſtatum. Noua itaque opus eſt geneſi; noua rebus forma induenda. Haec illa eſt regeneratio, de qua* Bengelius ad Matth. XIX, 28. „*Noua erit geneſis, cui praeerit Adamus II. vbi & microcoſmus totus, per reſurrectionem, & macrocoſmus, geneſin iteratam habebit.*„ *Haec illa eſt* αποκαταςασις παντων, Act. III, 21. *ſecundum quam res ex turbis, quas diabolus per triſtem hominum indulgentiam in Ditione Dei mouit, in priorem ordinem reſtituentur, hoſte illo penitus ſubacto.* coll. I Cor. XV, 25.

§. 36. Quid itaque vel abſurdi vel difficultatis fouet phraſis Paulina in textu noſtro, quod hanc reuelationem creatura tota exſpectet cum gaudio? §. 12. quod ſperet? quod interim congemiſcat? Valeant tandem praeiudicia. Eminentiſſima Domini JESV CHRISTI cognitio, quae omnia haec complectitur, corda noſtra extendat, perluſtret, & ſuperet nos ipſos!

§. 37. Jam euicta hac de tota Natura euehenda veritate quid luculentius eſt veritate altera, quod *Bruta non annihilentur?* 1.) Pertinent ad creaturam gemebundam; de quo dicta plura paſſim allegauimus. 2.) Pertinent ad creaturam vanitati, ſ. ſucceſſioni, viciſſitudini, fruſtrationi, conſumtioni, hactenus ſubiectam, non per ſe, ſed per Deum. 3.) mancipia ſunt, ſi quae alia creatura, corruptionis. 4.) ergo & inde liberanda. Eſt vero hoc liberari, ſi

annihileris? Eſt hoc liberari in finem aliquem nobiliorem & magis iucundum, ſi omni fini ſubduceris? Eſtne illa annihilationis conditio, vt dependeat a manifeſtatione filiorum Dei? Vtrum, ſi annihilentur bruta, atque ita per plenam deſtructionem liberanda ſint, cur cum voluptate non cadunt, cum iugulantur? Ecce ideam occaſionalem, quam mihi de hac materia meditandi ſuppeditauit *Bengelius* in Gn. ad verbum ἐλευθερωθήσεται. 5.) Liberatio a ſeruitute corruptibilitatis inuoluit reſtitutionem in ſtatum huic contrarium. Atqui per annihilationem ponitur ſtatus nullus. Ergo per annihilationem liberatio illa fieri nequit. 6.) Pertinent ad *opera diuina, de quibus laetabitur Dominus* Ps. CIV, 31. coll. Gen I, 20-25. atqui exiſtentia & perfectio operum diuinorum Deo affert laetitiam. De annihilatis dici hoc nequit. Ergo neque Bruta annihilantur. 7.) Pertinent ad ea, quae ſubiiciuntur Chriſto, Ps. VIII. rel. Atqui idea annihilationis tollit ideam ſubiectionis. Ergo Bruta non annihilantur. 8.) Pertinent ad ideam terrae. Gen. I, 24. II, 4. Ex. XX, 4. I Chron. XXX, 11. Ps. XXIV, 1. Atqui terra non annihilatur. Ergo nec Bruta.

§. 38. Forſan minor vltima aliqua difficultate laborare videtur. Equidem memini, occurrere dicta contra ſententiam meam exponi ſolita. Ita contrariari videtur Matth. XXIV, 35. Luc. XVI, 17. XXI, 33. Ebr. I, 11. Ps. CII, 27. I Joh. II, 17. Apoc. XX, 11. XXI, 1. Annon haec dicta *plenam abolitionem* clamant? Quid enim ſubſtantiae ſupererit, cum Totum ſit *praeteriturum, periturum?* cum terra & coelum ita *fugitura* expreſſe dicantur, vt locus ipſis iam non inueniatur, ſed noua adpareat terra, nouum adpareat coelum?

§. 39. Aequo animo atque eo, quem diuinioris Spiritus verba requirunt, omnia excutiam. Itaque reſpondeo 1.) quoad verbum παρέρχεσθαι, *praeterire*; denotat illud *inconſtantiam eiusdem ſtatus*, adeoque rei mutationem. Videant, qui ſuperiora oppoſuerint, quod verbum hoc in locis ex Matth. & Luca citatis opponatur verbo diuino *conſtantiſſimo, immutabili*; quod Ebr. I, 11. Ps. CII, 27. opponatur CHRISTO, ſemper eidem; numquam alii; ab omni vetuſtate atque mutatione immuni. Conferant, ſi placet, v. 12. ad Ebr. I, 11. & dicant, annon facilis & verus huius verbi hic ſit ſignificatus. 2.) idem reſpondeo quoad verbum παράγεσθαι in loco Johanneo, cuius hic eſt ſenſus: Qui voluntatem Dei efficit, ille fundamentum

& bona

& bona in ſe habet conſtantiſſima, nullis viciſſitudinibus obnoxia. Contra vero mundus non item. Hic conſtans non eſt, ergo neque, quod conſtans eſſet, largiri poteſt. Nihil itaque his verbis innuitur, niſi mutabilitas coeli & terrae; atqui mutabilitas non inuoluit abolitionem plenam, ſ. ànnihilationem. 3.) ad locum Apocalypticum reſpondeo ex *Polo* in Synopſi: *a cuius conſpectu fugit terra & coelum*, idem eſſe, ac ſi dicas: *abiit eorum priſtina ſpecies, forma ac ſtatus; abiit vetus haec rerum conditio.* Ad verba: *Locus non eſt inuentus eis:* ſupponendum, *vbi conſiſterent a potentia Dei ea renouante ac mutante.* 4.) Ad alterum locum apocal. iam facilius eſt reſponſu: Nouum ſcilicet coelum & terram nouam dici, non ſubſtantia talia, ſed qualitatibus, puritate ac gloria. Neque ſola humana auctoritate nituntur hae explicationes, quamuis ſatis ea munitae apud *Polum*, ſed praeterea toti reuelationis ſyſtemati conueniunt. §. 35.

§. 40. Aliud Robur ſententiae noſtrae accedit ex dicto, quod exſtat II Petr. III, 12. tantum abeſt, vt eam illud ſubuertat, vt potius fundamentum ſit reliquarum de conſummatione ſaeculi expoſitionum. Dicuntur coeli igne infeſtati ſolui; dicuntur elementa calefacta liquefieri. Quid hoc ſibi vult? Abii equidem ad Chemicum, & quid inde eueniat, didici, ſi corpora igne comburantur. Liquefacta nimirum ſoluuntur & diſſoluuntur corpora; deinceps homogenea & eſſentialia coëunt, nouumque ſiſtunt corpus, nouaque gaudent forma ſeparatis quam maxime Non-eſſentialibus. Quae corpora ſi ex Marte, Antimonio &c. conſtent, vocantur Chemicis *Reguli* Martis, Antimonii &c. Jam cum terra noſtra ſit igne ſoluenda, quid illi eueniet? ℟. Separabuntur eius partes Noneſſentiales, quae e. gr. ex peccato, maledictione &c. acceſſere, atque eſſentiales, quas initio a ſola Dei Optimi manu accepit, coïbunt, coaleſcent, nouumque hem! quam nobilius ſiſtent corpus, nouaque ſuperbient forma. Ecce exemplum expoſitionis a natura deſumtae ad naturam adplicatae.

§. 41. Praeſto mihi eſt aliud non minoris momenti argumentum pro Non-annihilatione terrae. Pater in coelis ſuos votorum, quae in Filii nomine, quae ex voluntate eius faciunt, omnium vult fieri compotes. Joh. XVI, 23. Atqui quotidie ipſis in votum venit: *fiat voluntas Tua;* quemadmodum in coelo, *ſic etiam in terra;* neque hoc votum hucusque impletur. Ergo adhuc implebitur in

terra, cum nimirum liberabitur a vanitate, a ſeruitute corruptibilitatis. Atqui hoc fiet poſt manifeſtatam gloriam filiorum Dei. Ergo poſt conſummationem ſaeculi. Ergo terra non annihilatur. Ergo firma eſt minor §i 37. Ergo & conſequentia.

§. 42. Quare, cum iam annihilatio Brutorum ex Sacra Scriptura non tantum probari non queat, ſed contrarium potius ex textu noſtro, ex contextu, ex vaticiniis, ex toto Reuelationis ſyſtemate aſſeratur; ego non dubito, profiteri publice vti totius ob Adamum lapſum lapſae vel potius deiectae Naturae reſtitutionem, ita & exinde fluentem Brutorum durationem aeternam. Qui diſſentiunt a me, forſan non ſatis perſpicuo viſo, oro rogoque, ne a me quicquam aduerſus veram ſobrietatem admiſſum exiſtiment, cum equidem perſuaſum mihi habeam, & hanc diſci veritatem debere ex cognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti, naturae vt auctoris, ita & Reſtauratoris; atque illa vnice nec niſi ex Typo ſaluberrimae doctrinae in diuinis paginis propinatae hauritur. Quicquid itaque exinde diſcimus, veritas eſt, omnibus propoſita, omnibus, qui capiunt, proponenda.

§. 43. Si vero cui videar, male neglexiſſe veſtigia Virorum, quae premere decuiſſet tyronem; ille, ſi placet, audiat *B. Joh. Wolfg. Jaegerum* in Syſt. Theol. dogm. Polem. de conſummatione Saeculi, Controu. I. *eſſe*, inquientem, *hanc quaeſtionem Theologicam problematicam, propter quam nulli dica haereſeos ſcribenda ſit, ſiue hanc, ſiue oppoſitam ſententiam amplectatur.* Quare, qui problema nondum exiſtimet ſolutum, certe me hoc tam illuſtri non deſtituat patrocinio. Quamuis neque id diffitear, potuiſſe euolutas a me ideas iucundius ab alio quouis propinari, cui de animi diſpoſitione gratulandum magis conſtanti; tamen neque hoc ab vllo negatum mihi iri metuo, quod veritas ſi non eadem dominetur continuo, tamen ſparſa in his paginis paſſim ſint eius ſemina. Bene mihi, ſi

Seram - - - - quae alteri ſaeculo proſint.

§. 44. Coronidis loco ſubiungo quaedam PORISMATA.

I.) Etiam ex hac materia videri poteſt, quot quantisque Philoſophiam Theologia ſuperet paraſangis, cum ex. gr. etiam ſucceſſionis a Deo liberrimo & ſapientiſſimo electae in hoc mundo ſuppeditare poſſit rationes. §. 35.

II.) Sola

II. Sola, quamuis ſana, ratio quoque in iis cœcutit, quae ſunt naturalia, & vniuerſalia in natura; quomodo ſubacta ſibi iudicauerit ſpiritualia? I Cor. II, 14.

III. Neque ratio naturam tam alte eleuauerit, quam gratia in Chriſto nobis facta, per verbum diuinum reuelata.

IV. Submittant itaque ſeſe lumini reuelationis, quotquot in naturae ſublimitate atque incolumitate aſſerenda hactenus tantum operae, ſed fruſtra! conſumſere.

V. Ex idea vanitatis §. 17. eruta fluit etiam motiuum, rebus ſe non committendi, quae vanitati ſunt ſubiectae.

VI. Subiecta vero ei eſt omnis creatura, alia volens, alia nolens.

VII. Vnicum ſupereſt principium immutabile, conſtantiſſimum: DEVS in CHRISTO manifeſtatus.

VIII. In quo qui acquieſcit conſtantiſſime, fortunarum, humanorum de ſe, de aliis, iudiciorum, imaginationum &c. vanitate ſuperior & victor & dominus abibit. conf. I Joh. V, 4. 5.

IX. Quanto quisque pluribus, paucioribus, obnoxius eſt viciſſitudinibus, eo magis, minus quisque vanitatis experitur dominium.

X. Cum filii Dei, ſubditi Chriſti, primi ſint, quibus Deus, quibus CHRISTVS vult manifeſtari, §. 30. quanti neceſſe eſt penes Deum ſint pretii?

XI. Quis itaque in horum eſſe numero non ſtudeat ſummopere?

XII. Cum omnis creatura ſpem habeat eluctandi ex miſeria ſua, & in ſtatum libertatis & gloriae perueniendi, quam male mali agunt ex hominum genere, & ſpem, & libertatem & gloriam, quae ipſis hucusque patent, negligentes.

XIII. Filiorum Dei quam ſplendida erit manifeſtatio, quum omnis creatura eam exſpectet?

XIV. Quanto magis magnifica, excelſa & glorioſa erit manifeſtatio Chriſti, quum & filiorum Dei & reliquae creaturae inde dependeat reſtitutio, libertas, gloria & ab vtrisque exſpectetur.

XV. Veritas ſole meridiano clarior eſt: Neque terra, neque homines, neque animalia ſunt ea, quae iuſſu Dei erant, eruntque.

XVI. Sapientis eſt, ſperare, exſpectare, adfectare meliora.

XVII. Inſipientis, contentum eſſe ſtatu praeſenti.

XVIII. Enti limitibus circumſcripto denegare perfectionem, eſt loqui aduerſus ſolem.

XIX Cum omnis in hoc terrarum orbe congemiſcat creatura, quam rectiſſime vocatur miſeriarum vallis.

XX. Id noſſe, quod omnis creatura congemiſcat &c. eſt Chriſtiani.

XXI. Id non noſſe, id negare, eſt Non-chriſtiani.

XXII. In hoc aeone dominatur ſeruitus; in futuris dominabitur libertas.

XXIII. Creatoris ad creaturas eſt aeterna propenſio.

XXIV. Quod pii & fideles hactenus viles habeantur, mirum non eſt; nondum ſunt manifeſtati.

XXV. Succeſſio, viciſſitudo rerum, in mundo non eſt abſolute neceſſaria.

XXVI. Quod omnis creatura exſpectat cum gaudio, homines impii metuunt; heu quam peruerſum ingenium!

XXVII. Quod Deus creaturis imponit onus, id ab eodem ſperare licet remoueri.

XXVIII. Idem onus etiam propter eum, qui impoſuit, patienter ferendum.

XXIX. Spem ita comparatam numquam fallit euentus.

XXX. Neque pati ſemper vult Deus creaturas; quomodo eas velit eſſe annihilandas?

XXXI. Cum brutorum a Deo exaudiantur ſuſpiria, quomodo hominum, quibus ſimilis factus eſt eius Filius vnigenitus, accipientur preces?

XXXII. In cognitione IESV CHRISTI Philoſophia ſummum ſuum aſſequitur faſtigium.

XXXIII. Ex eadem eiusdem ſtatuendum eſt iuſtum pretium.

XXXIV. Vanitatis idea extenſior eſt, quam creaturae in noſtro textu.

XXXV. Canon Hermeneuticus: A propria ſignificatione vocabuli non eſſe recedendum praeter neceſſitatem; praeiudiciorum limitibus ſaepe circumſcribitur.

XXXVI. Ne itaque Tuis aliorum accedant praeiudicia, cauendum iudico, ne, quid alii ſentiant, prius, quam quid ſit ſentiendum, indagaueris.

XXXVII

XXXVII. Verſionum Biblicarum multiplex eſt vſus, ob quem vel ſolum diſcendae ſunt linguae.

XXXVIII. Neque diuerſitas verſionum in eadem lingua ſua deſtituitur vtilitate. Omnia enim ab vno non exhauriuntur.

XXXIX. Aliud Bonum, quod ſine auctore eius cogitari nequit, conſtans, immutabile, hominibus vanitati obnoxiis datum, eſt verbum Dei ſcriptum.

XL. Quo, cum norma ſit euentuum aeternorum, excelſius, nobilius, hactenus cognoui nihil, neque fieri poteſt, vt vmquam cognoſcam quicquam.

XLI. In quo quod fundatum eſt, eſt certum, quamuis agitetur dubiis humanis.

XLII. In eo fundata eſt hiſtoria lapſus generis humani; deiectio Naturae; vtriusque Reſtitutio & euectio.

XLIII. Ad cuius ſolidam cognitionem quam obligati ſumus? quam felices aeſtimandi, vt eo peruenire nobis ſit datum?

XLIV. O beatiſſimam doctrinam, quae ſtupendas nobis detegit miſerias! O infeliciſſimam ignorantiam, quae alia quauis ſuperbit cognitione, hac prima deſtituta.

XLV. Principium rerum eſt CHRISTVS; ergo eſt antemundanus.

XLVI. Centrum rerum eſt CHRISTVS; nam per eum omnia ſunt creata bona; per eum omnia redeunt ad priſtinam integritatem. Ergo curſus aeonum per eum dirigitur. Ergo eſt omnipotens: ergo eſt infinite ſapiens.

XLVII. Finis rerum eſt CHRISTVS; ergo eſt infinitae Maieſtatis; ſummo honore dignus; diuino aeterno cultu proſequendus. Ebr. I, 2. 3. Col. I, 16. Rom. XI, 36.

XLVIII. Qui cum finis ſit rerum, propter & in quem ſint creatae, nihil annihilatur.

XLIX. Hoc noua rerum facies confirmabit.

L. Initium nouae rerum faciei eſt huius mundi

F I N I S.

Errata:

p. 17. lin. 11. aengſtet ſich *noch*
p. 19. Nro. V. lege *Foertſchius.*
Not. m. - - *More.* pro Moſe.
p. 24. §. 19. Nro. 6. *επ* pro *εκ’*

VENERABILI ATQVE CLARISSIMO
DOMINO RESPONDENTI
S. P. D.
PRAESES.

Cum inſtitutum TVVM ſummatim primum a TE coram expoſitum facile mihi approbaſſes, *Venerabilis atque Clariſſime Domine Magiſter* HESLERE, Diſſertationem hanc ipſam a TE poſtea conſcriptam, per partes exhibitam recognoſcens, talem deprehendi, vt integram TIBI relinquendam eſſe tractationem TVAM exiſtimarem, tum ne forte compages & nexus rerum, quem curata meditatione TIBI formaueras, additione cogitatorum alienorum luxatus minus ſibi conſtaret, tum vero vt Lectores Eruditi, atque inprimis PATRONI TVI VENERANDI, eo certius poſſent de ingenio atque profectibus TVIS exiſtimare.

Delegiſti argumentum arduum, graue momentis, idemque impeditum difficultatibus variis; ſed viciſſim fœcundum, & ſapientia mira cum doctrinae ſalutaris articulis primariis ab Apoſtolo Paulo connexum. Atque in eo tractando es ita verſatus, vt praeter ingenii dotes, & ratio ſtudiorum TVORVM, & animus modeſtus, reuerens DEI, & litterarum ſacrarum amans, ac veri cognoſcendi & ſequendi deſiderium, paſſim eluceat; quae omnia etiam illi, ſpero, probabunt, qui in re ipſa, prout hic propoſita legitur, nobiscum non conſentient fortaſſe. Eſt enim haec eius generis doctrina, in qua libertas ſentiendi, modo ab iniuria & contumelia in alios, & a diuini in Scripturis Sacris teſtimonii contemtu aut abuſu, itemque ab audacia temere opinandi abſit, innoxia poteſt ac debet haberi: neque eorum, quae Diuinas Litteras ſcrutantibus ſe offerunt, incurioſos eſſe decet aut negligentes.

Supereſt, vt *DEVM*, quo Duce adhuc feliciter vſus es, propitium TIBI porro exorem, ac toto animo precer, velit non modo ſtudiis TVIS, ſed reliquis etiam, quae proxime aggredieris, adeſſe, omniaque TVA in TVVM non modo, ſed & aliorum, quin publicum Eccleſiae, commodum ac ſalutem, atque in Sanctiſſimi Nominis ſui Gloriam vertere. Vale in DOMINO. Scripſi TVBINGAE, Prid. Cal. Jun. A. O. R. CIϽIϽCCLVII.